



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



## Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

## Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

## Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

losophiae oras, quippe quae non modo nos doceat, omnino individuo, rebusque omnibus, quae ad hominem tantam ut individuum pertineant, nihil esse finitius, sed etiam per se falsissimum esse ideoque rejiciendum eum cogitandi cognoscendique modum, secundum quem ratio pro individuorum habeatur facultate et proprietate, quum contra illa sit una atque universalis individuorum substantia.

Nos considerabimus primum meram cogitationem, tum cogitationem, quae se ipsam cogitat, ab cognitione sejuncta, denique cogitationis et cognitionis unitatem, et unam tantum universalem et infinitam esse rationem demonstrare conabimur. Illam non esse finitam, neque individuorum, jam ex cogitationis inquisitione patebit.

## I.

### §. 1.

Fieri enim nequit, ut in eo, qui cogitat, natura cogitandi, quod quidem ejus formam attinet, unquam exstinguatur aut turbetur. Quantumvis Caji alicujus sententiae sint quasi angusto quodam limite circumscriptae, earumque argumentum vanum et finitum, ipsa tamen cogitandi forma integra illibataque se habet. Est autem haec forma communitatis sive universitatis. Cum cogito, desii esse individuum, et cogitare idem est atque universale esse. Omnes enim scimus, ut hoc utar, tam corporis, quam interioris animi sensus, etiamsi his ejusmodi res insint, quae mente sola percipiuntur (ut Deus, morum leges et rationes etc.) cum altero per orationem communicari non posse. Atque id ipsum, quod alteri impertiri non possunt, sensuum constituit naturam. Ejusmodi sensus, qui ad res intelligibiles pertinent, simul ac ipsi verbis expressi in alterum transferri possunt, jam amissa sensuum vi propria in notiones transierunt. Nam etiam animi mei sensus (qui quidem proprie sunt sensus, et sensus manent, ut gaudium, dolor etc.) ipsi per se a me vindicari liberarique non possunt; rem quidem omnino, quae me sensibus quibusdam afficit, cum altero communicare possum, idque ita, ut una cum re, quam describo, sensus meos exprimam, et alter animi mei statum et ipse sentiat; at hujus communicationis causa non in sensu, sed in cogitatione est posita. Sensus enim, quo commoveor, a cogitatione destitutus et ipse per se non nisi meus manet et in me inclusus. — Nimirum verbum semper universale aliquid exprimit, at sensus est singularis. \*) Dicere quidem alteri pos-

\*) Cf. Gabler System der theoretischen Philosophie §. 48. et Hegels Phänomenologie des Geistes I. die sinnliche Gewisheit S. 22.

sum: caput mihi dolet, haec vel illa res dulcis est sapore etc.; at hic ipse sapor, quem ego nunc sentio, ineffabilis est; alioquin simul cum verbis meis alter etiam saporem ipsum accipere deberet. Idque valet de omnibus sensibus sine exceptione, qui nihil nisi sensus sunt.

## §. 2.

Cogitata mea ita mecum coalescere et me velut possidere possunt atque occupare, ut totus sim in iis, ab iisque inseparabilis. Ereptis illis, interirem; sunt enim illa ego ipse, sunt mea vera et interior natura, et tamen in alterum ita transfunduntur, ut mea ille cogitata, quae ex interno liberoque animi sui motu in se recepit, pro suis ipsius agnoscat, neque itidem suam naturam seu se ipsum, ut aliquid sine illis subsistens, separet \*) ab iis sejungatque. Nos, qui sumus alias, obruti quasi proprietatibus nostris, alter alteri impenetrabiles, velut corpora solida; in communicandis cogitatis, ut lucem corpora pellucida, cogitata alterius non mutata obscuratave transmittimus, neque excludimus nos mutuo, neque quidquam inter te et me est interjectum, quod obstat, quo minus in memet tu ipse infundaris. Quodsi homo, quoad cogitat, eodem modo ab aliis esset distinctus, quo separatus est ab iis, quatenus sentit, vivit, est, cogitatorum communicatio nullo pacto intelligi posset. \*\*)

Ob hanc causam, quod in sentiendo disto ab altero, ego tantummodo ego sum et alter mihi alter est, non ego, sensuum meorum, qui quidem proprie sic sunt nuncupandi, alter particeps fieri non potest. Sed ego ipse esse possum ac sum revera, quoad cogito, alter ipse; mea est illius quoque essentia, pariterque, quod intus ha-

\*) Etiam hac ratione intime cohaerere cogitationem et essentiam, quin cogitationem esse ipsam essentiam, neque hominem extra cogitata sua esse, hic exponendi non est locus.

\*\*) Recte igitur Gorgias ille (cf. Aristot. de Gorg. in libro ejus de Xenoph. Zenone et Gorgia) e Sophistarum quidem ratione unum alteri rem aliquam explicare et manifestare posse negat. Nam Sophistis cogitans pariter ac sentiens et a rebus et ab altero separatus, ideoque cogitatio a sensu non discreta erat. Quod probat v. c. Protagoras, dicens: μηδὲν εἶναι ψυχὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις, καὶ πάντα εἶναι ἀληθῆ (Diog. Laert. Protag.) cf. et Sext. Empir. adv. Logic I. 60 de Protagora τῶν πρὸς τί εἶναι τὴν ἀλήθειαν, διὰ τὸ πᾶν τὸ φανὲν ἢ δόξαν τινί, εὐθέως πρὸς ἐκεῖνον ὑπάρχειν et eundem n. 60 de Euthydemo et Dionysodoro et de Georgia 65 etc. Cf. Platonis Euthydemus Heindorf §. 36 Ψευδῆ μὲν λέγειν οὐκ ἔστι (§. 31.) οὐδὲ ἀντιλέγειν (§. 36.) Plat. Cratylos §. 5.

beo, mihique intimum indiscretumque a me, alterius simul et esse potest et est; nihil mihi magis proprium est, quam cogitatum; et tamen nulla pars mei aut rerum mearum ita a me ipso amoveri, tradique alteri et tanquam a me alienari potest. Dum ergo cogito, licet contractus tanquam in ipsa mentis penetralia, latissime tamen pateo; inclusus in me, sum apertus; dum mihi proximus, simul a me remotissimus. \*)

Quod sic quoque exprimere licet: cogitare est media in unitate diversum et in summa simplicitate duplicem esse, itemque contra.

§. 3.

Sensuum contra, qualescunque sunt, communicatio generatim appellanda est consensus, compassio συμπάθεια, συναίσθησις, (Mitgefühl, Mitleiden); at ineptum esse, si quis diceret: Mitdenken, Mitgedanke neminem fugit. Quae res ex cogitandi natura, quam modo significavimus, sequitur: cogitatum enim, licet sit meum, ita tamen se exsolvit a me et dirimit, ut totum indivisumque fiat alterius, eique quamvis acceptum, iterum sit procreandum; sed in amore, amicitia, qualibet denique animorum conspiratione sensuumve communicatione duo vel plures \*\*) personae secum consentiant in quacunque re ut personae; et quum, quae in cogitando in unum actum sunt concepta atque comprehensa, Ipse Ego nimirum et Alter, \*\*\*) ea in sentiendo et diremta sint et in ejusmodi animorum conjunctionibus (ut amicitia etc.) divisa inter personas, quae licet inter se jugatae, simul tamen sunt discretæ; apparet, sensuum communicationem nihil aliud esse nisi consensus Mitgefühl, Mitleiden. Quare in

\*) Omnes sensus interiores seu affectus in tristitiam et laetitiam ut in genera cogi possunt. Illa animi est contractio (συστολή) Berengung); haec (διαστολή) Ausdehnung) extensio. (cf. v. c. Kiemer griech. Lexik. sub vocabulo μέδω). Hoc utrumque, quum sentio, separatim sibi que contrarium momentum in liquidissimam quasi coit unitatem, quum cogito. Cogitans enim extensus sum, dilatatus quasi, differor (ich vergehe) et una apud me sum, in me reedo, a rebus externis reductus, quas velut abhorreo. (zurückschaudere.)

\*\*) Liceat mihi usurpare vocabulum personae eo sensu, quo apud recentiores philosophos accipi solet, ut multa alia vocabula, quae antiquitatis integritas abhorret.

\*\*\*) Quare etiam verus i. e. cogitans discipulus et praeceptor et discipulus sibi una est. Cf. Philosoph. Ideen zu einer allgemeinen Theorie des Lernens und Lehrens, im Philosoph. Journal einer Gesellschaft teutscher Gelehrten, herausgegeben von Fichte und Niethammer VIII. Band IV. Heft.

amicitia quoque valet Zenonis illud, Stoicorum principis: φίλος ἐστὶ ἄλλος ἑγώ (alter ego);\*) atque omnino in qualibet alia hominis cum homine ratione. Alter appellari potest Alter Ego; contra in cogitando in memet ipso ille Alter Ego est, ipse sum simul Ego et Alter, idque modo indiscreto, neque certus quidam Alter, sed Alter omnino (sive in specie). — Illud respiciens, quod proprie solum cogitatum, neque aliud quidquam communicari potest et libere ex uno in alterum transire; Thaletis quoque sententiam: τάχιστα ὁ νοῦς διὰ παντός γὰρ τρέχῃ, \*\*) recte intelligere et interpretari posse mihi videor. Sensus vero immobilis est, haeret, consistit; quantumvis animus meus affectibus ferveat, et vehementissime intus commoveatur, de sede tamen sua, qua natus est, sensus non demigrat, quantum ad me solum pertineat, neque exit ex me ipso, quippe qui sim sentiens non modo sensuum meorum, sed etiam mei ipsius terminus insuperabilis. — Mea igitur cogitata vel sine ulla mutatione alterius fiunt, nec modo unius, sed hominum innumerabilium, qui ceteroquin in rebus permultis toto coelo a me distare possunt sexu, aetate, patria, moribus, ingenio.

Cogitare ipsum per omnes homines secum cohaeret, et quamvis diffusum quasi per singulos, continuum tamen est et perpetuum, unum, sibi compar, inseparabile a se. In uno ergo cogitandi acta omnes homines, vel maxime sibi contrarii, inter se sunt pares; cogitans conjunctus, vel potius unitus sum cum omnibus, quin ipse ego omnes \*\*\*) sum homines.

\*) Cf. Diogen. Laert. Zeno.

\*\*) V. Diog. Laert. Thales.

\*\*\*) Per se nihil refert, utrum dicatur: „alter sum, quoad et quam cogito“ an „omnes sum homines.“ Ad universitatis enim notionem Unum et Alterum tantum requiritur, eorumque unitas; nam quaelibet communitas est unitas. (V. qq. Hegels Phänomenologie S. 113 et Encyclopädie erste Ausgabe S. 233, ubi de transitu conscientiae singularis in conscientiam universalem agitur). Quod ut paucis absolvatur, exempla aliquae afferantur. Mari ac femina genus constituitur et continetur. Unum non per se ipsa Unum est, sed per alterum Unum; ut Unum numerus fiat seu ut numerari possit, Duo existere necesse est; qua ex causa Duo est simpliciter numerus, est omnis numerus, est numerus ille, per quem numeratur, atque in numero Duo jam comprehensa adest et continetur illa usque in infinitum procedens et extensa numerorum multitudo. Inde est, quod in linguis multis numerus dualis existat, inde, quod in judiciis ad factum aliquod confirmandum duo testes sufficiunt, et in vita vulgari, quidquid bis factum est, jam saepe factum esse putatur. Memorabile est,

§. 4.

In omnibus non magis hominum, quam rerum naturalium relationibus, quae quidem in ratione sunt positae, quam fieri nequeat, quam cogitationis, qualem indicavimus, natura (i. e. omnino unitas Unius et Alterius) appareat quodam modo (utpote quae, ipsam rationis constituens naturam, ubi illa est, deesse non possit); quid sit cogitatio, non recte vereque perspicere licet, nisi ex iis ipsis relationibus, quae procul ab ea remotae videantur, illa explicetur et demonstretur, quomodo omnia arcano quodam motu atque impulsu ad eam ferantur tendantque, donec ipsa ab omni concretionē liberata et purgata emineat. Sic, ut hoc utar, etiam in ipsis \*) brutis animalibus ejus momenti, quod universitatis vocant, adumbratam quandam ac tenuem habemus imaginem, siquidem unum cum altero commixtum (mas cum femina) tertium ejusdem speciei gignit, vel (ut ea ratione potius exprimat, quae ad nostram rem explicandam et illustrandam est accommodatior) siquidem unumquodque singulum animal alterum seu multa alia (non enim interest quidquam) potentiā certe, seu semine suo involuta, in se comprehendit, et sic unum ipsum individuum quodammodo est alterum sive multa alia individua. Generanda autem, quatenus in generatore (sive generatrice, hic enim nihil differt) potentiā sola exstant, continentur in illo, quoad ipsa nondum sunt, si quidem comparantur cum ea forma, quam habent, quum sunt generata, vel potius secum ipsis, quatenus generatore liberata secum ipsa sunt; quapropter etiam creandorum individuorum potentia (sperma) ita cum gignentis corpore commixta est, ut (alius corporis procreandi facultas) non nisi inserviat propriae generatoris vitae conservandae sustendandaeque, in ejusque sanguine et succo, quo ipsum alitur, alia (futura) individua contenta lateant ac sine ulla forma et habitu diffuant quasi et evanescant. Generata autem, et quum et quoad sunt, illam unam, qua erant contenta, bestiam tanquam sepimentum intolerandum perruperunt; nunc sunt, quae antea erant contenta, extra continens collocata seorsimque ab eo; solvuntur ut ipsa singula individua ab illo, quod pariter est individuum singulum; quemadmodum antea, omni ex-

quod Christus ait: „Wo zwei oder drei in meinem Namen versammelt sind, da bin ich mitten unter euch,“ quasi Duo jam commune constituerent. Quare, ut mea quidem fert opinio, verae numeri notioni non respondere videtur, quod Wagner V. ejus *Mathematische Philosophie* §. 28 dicit: „Es gibt außer Zwei und Drei keine Zahl,“ quum contra Duo jam per se omnis sit numerus. Francesco Gregorio Zorzi Venetianus nominat: „2 die Materie, 3 die Form“ Stirners *Geschichte der Philosophie* II. S. 210.  
 \*\*) Scilicet, id de generatione generaliter valere.

stincta figura, in gignentis proprio succe vitali erant recepta; sic nunc sunt separata remotaque ab eo, neque ullam cum eo, ex quo sunt profecta, conjunctionem retinent. Est ergo etiam una bestia quadam ratione unitas, cui et alterius, sed haec — nimirum quoniam natura non cogitat — non eo usque progreditur, ut sit et existat ut unitas, sed in individua, alia ab aliis exclusa separataque, dirempta dispergitur.

§ 5.

Sed in homine illa unitas est vera, eaque universe, quoniam ille nusquam naturam suam cogitantem rationisque participem prorsus exuere potest, quamquam etiam hic illa unitas permultas et diversas formas gradusque percurrit, donec ad extremum, quid sit illa revera, appareat in cogitatione. Homo omnino est homines, seu unusquisque singulus alios sive omnes homines in se comprehendit atque involvit, scit enim, sese hominem esse. Nam dum hominem me esse, conscius mihi sum, me quidem huncce singularem scio, sed una et hominem omnino — utrumque est enim inseparabile — in mei ipsius conscientia alterum simul comprehensum habeo; vel dum me scio, ideoque me pono, alterum sive homines etiam scio et pono, et sic singulare aliquid esse desino, qualis est res aliqua naturalis, quae se ipsam nescit. Est igitur unum et idem se ipsum atque alterum scire, et haec ipsa scientia est mei ipsius et alterius unitas. Quodsi mei ipsius conscientia non hominum simul esset comprehensio (Zusammenfassung), sed ego mei unius essem capax, profecto non homo, sed v. c. planta essem (anima vegetativa.) Nam id quidem, plantam se ipsam scire, non est, quod obtinere cunctemur, dummodo adjiciamus, eam prorsus nihil aliud, quam se ipsam, quatenus est haec singularis planta, scire, ideoque etiam, sese plantam esse, ignorare; unde est, quod illud scire, quod plantae tribuimus, neque est, neque dicitur scire, sed vivere, crescere, florere, se ipsum alere etc.

In eo igitur, quod conscientiam habeo, omnes homines in me receptos habeo, extra et juxta quos sum positus, quum sensibus subjectus i. e. ut singulus et unus numero ad eos referor; et sic id, quod videtur, quatenus sum sensibilis, extra me collocatum, intus in me est susceptum et immissum, quatenus scio. Indidem est, quod — ut hoc unum ex illa rerum humanarum, quae huc spectant, infinitate excerpam — liber sum atque in societate, jure legibusque colligata, vitam ago. Ut ipse alteros agnosco, sic alteri me agnoscunt, neque me ut aliquid distinctum, quod sit alia natura, quam illi, ab iis secerno. Pari sum igitur jure, quo caeteri, eadem lex,



eadem bona, eadem poena mihi et alteri sunt constituta; hac ergo ratione unum sumus; vel ut sic res concipiatur, licet sim singularis, in me tamen non me solum exhibeo, ut bestia aliqua se unam, sed alterum, hominem omnino i. e. sum universalis. Sed jus suum cuique tribuit, mea non sunt tua et item contra; jus ergo, dum unit, distinguit, et separat, atque dum tollit, efficit et constituit summas inter homines differentias; h. e. in jure sum universalis, quatenus sum hocce individuum sive singularis, non quatenus sum universalis, qualis sum, quum cogito. Idem valet de me, quum non me ipsum, sed officii praecepta moribus ac vita exprimo; quantumvis sim universalis in agendo, exors velut mei ipsius omniumque cupiditatum, neque quidquam praeter voluntatem communem sequar etc., semper tamen ut hic homo sum universalis, et ut individuum determinatum ad caetera referor. \*) Qua de causa omnes illae iisque similes rationes, quarum in numerum religio ipsa est redigenda, in uno non possunt confici, sed duo sive plures exigunt personas, et eo ipso, quod non habent, nisi inter plures locum, id, quod universitatis momentum diximus, in iis efficitur et constituitur, sed apparet hic simul illa Sui Ipsius et Alterius unitas non omnibus partibus absoluta.

### §. 6.

In cogitando contra hominum illa copia in infinitum diffusa atque extensa non amissa aut extra cogitantem relicta est, ita ut, qui cogitat, juxta caeteros collocatus, singularis sit et unus inter alios (talis enim non cogitaret, sed sentiret solummodo, vel ageret aliquid vel aliam quamcunque sensibilem rationem et commercium cum hominibus haberet) sed colligit se, comprehenditur atque concipitur in uno. — Quod etiam sic explanari potest: Quoad sum singularis homo, necessario sunt alii singulares, seu potius dicere, unum esse singularem, et plures esse singulares, unum idemque est. \*\*) Quare cum alterum adspicio, me ipsum simul intueor et mihi ipse quasi reddor, ac dum me ab eo discerno, simul tamen me eundem ac illum

\*) Etiam hac ex parte intelligere possis, non praestare voluntatem cogitationi, neque philosophiam activam spectativae antecedere.

\*\*) „Indem ich Person, die unendliche Beziehung meiner auf mich bin, bin ich die absolute Repulsion meiner von mir selbst, habe meine Realisirung nur in dem Sein anderer Personen, und bin darin erst eine wirkliche Person für mich; ait Hegelius (Encyclop. S. 261) V. qq. ejusdem Logic I. S. 104 etc. de Uno ejusque transitu in Multum.

esse sentio, eadem natura, qua ille; \*) atque haec natura mei et alterius est unitas; sed quoniam in omnibus qualibuscunque rationibus, ubi alterum intueor, alteri ut individuo, ipse ut individuum sum oppositus; haec nostra relatio, qua, licet conjunctos nos sentiamus, mutuo tamen nos excludimus, proprietatesque nostrae utriusque tantam inter nos efficiunt distantiam, ut illa naturae unitas procul a nobis et quasi supra nos sit posita, nobisque recondita, non vera, nec manifestata. In cogitando vero illa unitas obruta talibus relationibus, ubi alter alteri est oppositus, aperta fit et vera, neque est amplius supra me elata, sed in me ipsum descendit, quia imo illa hominum natura, illa unitas nunc ipse sum, quum cogito. In rerum quidem natura, eo, quod sensibus est subjecta, neque cogitat, non est genus (ad quem locum infra redibimus) non est planta, sed plantae tantum singulae multimodae; sed id non valet de mente: cogitans ipse sum genus humanum \*\*), non singularis homo, qualis sum, quum sentio, vivo, ago, neque certus quidam homo (hic vel ille) sed nemo. \*\*\*) Itaque, quum cogito, non sum universalis ut persona quaedam, quae per se est priva et particularis, sed simpliciter universalis sine ulla restrictione et exceptione. — Absolutam igitur hominum aequitatem si vobis ante oculos vultis proponere,

---

\*) Fridrich Heinrich Jacobi (V. Wolfenbüteler erster Theil) ait praeclare: „Mitgefühl schwingt sich in hundert Fällen, höher als eigenes.“ „Der Mensch fühlt sich mehr im Andern, als in sich selbst.“ Veram hujus rei causam rationemque quilibet intelliget, qui, quae hactenus sunt exposita, plane perspexit. Necessario enim altius efferimur consensu, quam sensu proprio, quoniam omnium actionum summus est finis illa unitas, quae una in cogitatione perfecta est.

\*\*) Quaestionem illam Scholasticorum de universalibus solvere non poteris, neque, quid falsi verive jam quaestio ipsa per se habeat, perspicere, nisi illa universalis ipsa a sese didicaveris eorumque materiam seu argumentum respexeris (hic enim una in materia rei cardo vertitur), atque cognitionem ceperis, cogitare esse ipsum Esse, sed *res* Esse universitatis, sive *res* universale Esse, sive illud Esse, quod non multum est, neque diffusum in singula, quae sunt, ut in rerum natura, sed quod unum est.

\*\*\*) Tantum igitur abest, ut falsum sit illud Cardani: „animal non esse genus hominis; hominem, cum praeter animam mentem habeat, desinere esse animal“ (Vid. Christiani Kortholti de tribus impostoribus magnis Hamburgi MDCCJ. Appendix de animalitate hominis §. 132) ut homo, quoad non individuum esse i. e. cogitare potest, nulli prorsus subsit generi, nam cogitationis ut sint genera et species, fieri nullo pacto potest. Semel tantum cogitatio apparere potest, ubi enim apparet; ibi tota, indivisa indiscretaque a se ipsa et qualis per se est, appareat necesse est.

non opus est, ut sepulchrorum loca obeatis, atque ossa cadaveraque contemplati ad sidera vultus tollatis; haec enim mors, haec aequitas, et ulterior illa vita, quae differentias omnes tollere dicitur, haud procul a vobis abest; praesto est enim in cogitando; quid? quod in vobis ipsis mors quaedam latet, \*) atque ea quidem mors, quae in vita inest, quin ipsa est vita atque in vestra potestate, praestantior illa sane et diviniore morte naturali. Haec enim nihil est, nisi mors i. e. mera et inanis negatio.

§. 7.

Fuere, qui dicerent, cogitare idem esse, quod sit secum loqui, atque etiam apud multos populos iisdem vocabulis et Cogitare et Dicere significari, satis constat. Haec cogitationis et sermonis copulatio, etsi alias parum conveniat verae illius notioni, hanc tamen sententiam habere videtur, esse me in cogitando non unam, neque solum et singularem, sed \*\*) duo Illud igitur, quod, cum, relatus ad alios ut singula quaedam persona, proprie loquor et sermonem cum pluribus connecto, extra me est positum, atque in disserendo, ubi alter alteri est oppositus, in plures quasi partes diffuit, illud, inquam, in me uno, quoad cogito, receptum est ac velut absorptum. Et omnino in hoc potissimum ponenda est cogitandi ratio et natura, ut cum sit simplicitas, eadem sit duplicitas. Neque enim ulla actio, sive hominum, sive rerum naturalium sola concipi potest et integra a societate quadam et conjunctione multarum diversarumque et actionum et virium, quae in unum confluant; una quaeque actio est ipsa multarum actionum concursus quidam multiplex; est etiam cogitatio actus; \*\*\*) at vero inter illam et alios omnes actus qualescunque hoc ipsum maxime interest, quod hi non secum ipsi sunt, sed multis aliis implicati, cogitandi autem actus neque est

\*) Huo spectare quoque videtur illud Platonis, philosophiam esse τὴν μελέτην τοῦ θανάτου.

\*\*) Apud Stoicos saepe occurrit sententia, etiam in ipsa solitudine, eum, qui cogitet, non esse solitarium, hominemque id perficere debere, ut ipse secum colloqui, ipse secum esse i. e. et ipse et alter simul esse possit. Cf. v. c. Arrian. Epict. III. 13 ubi Epictetus simul probat, etiam Iovem in incendio mundi, licet jam non habeat neque Apollinem, neque Minervam, neque ullum alium Deum socium, tamen, quia cogitet, non esse solum. Etiam Antisthenes, Cynismi princeps dixit, se ex philosophia τὸ δύνασθαι ἑαυτῷ ὀμιλεῖν (Diog. Laert. Antisth.) didicisse.

\*\*\*) „Euer Denken ist ein Handeln“ ait Fichtius. Vid. Versuch einer neuen Darstellung der Wissenschaftslehre im philos. Journ. v. 1797 VII. B. I. S.)

coagmentatus et compositus, neque percipi potest, nisi exemptus ex omni rerum concretionem et a virium communitate sejunctus, \*) quibuscum aut agat, aut ex quibus conflatus sit, aut quibus ad agendum sollicitetur. Itaque, quum quilibet actus sine exceptione unum et alterum aliquid, duo sive plura exigat et desideret, neque intra id, quod mere sit unum et simplex, motus quisquam aut actus ullo pacto fieri possit: \*\*) necesse est, ut in cogitatione (h. e. in cogitandi actu), illa momenta, quae in qualibet alia actione velut in diversa membra dissipata sunt et disiecta, et quorum mutua relatione, et disjunctione et conjunctione actio ipsa efficitur, in unum cogantur. \*\*\*) — In sentiendo vero, ut superiora repetam, simplex sum, unus tantummodo, non nisi ipse ego, sine illa me negatione, quae prima est cogitationis conditio, ita ut me unum ponam et affirmem. Hinc est, ut, qui sentiunt tantummodo aliquid, non cogitantes, velut interrupto ponte, quo ad alterum transgrediantur, eos deficiant verba; sunt enim in se solis penitus inclusi et involati, reductique in semet ipsos. \*\*\*\*) Est igitur sensus tantummodo +) Esse et positio singularitatis, seu potius, cum sentio, sum duntaxat eo ipse, quod unus tantummodo sum, simplex, ipse, non autem ago, h. e. formo et explico. Quare

\*) Anaxagoras ἀπαθῆ inquit εἶναι τὸν νοῦν καὶ κοινὸν οὐδὲν ἕνεκεν τῶν ἄλλων ἔχειν. (V. Arist. de ani. I. II. 21, 32.) Idem ait Aristoteles: Ὁ δὲ νοῦς χωριστὸς (de anim. III. V. 8.) et (Lib. II. V. 11.) ἀνάγκη ἄρα, ἔπει πάντα νοῦς, ἀμιγῆ εἶναι. (τὸν νοῦν.)

\*\*\*) Hoc jam Xenophanes ipse sensit, dicens: ἀκίνητον μὲν εἶναι τὸ μῆ — οὐ κινεῖσθαι δὲ (λέγει) τὰ πλείω ὄντα ἐνός. (V. Arist. de Xenoph.)

\*\*\*\*) Patet, cogitationem non esse vim quandam aut facultatem, sed illum „pulum actum“, quem Scholastici quidam Deum habuere et dixere. Mentem autem omnino non divisam esse in facultates et vires alias ab aliis separatas, imprimis autem cogitationem non particularem quandam vim esse, sed eam actionem, quae sit tota mens, ejusque universalis actio, cujus determinationes sint caeterae, quas vocant, facultates, quaeque in omnibus insit, Hegelius exposuit et demonstravit. (Cf. Encyclop. etc. prima ed. §. 34. 165. 321. 367. 368.) Etiam jam Cartesius (Medit. de prima phil. II. III.) Spinoza (Eth. p. II. axi. III. etc.) et Malebranchius (De la rech. de la ver. Liv. III. De l'entendement ou de l'esprit pur) eam habuere perspicentiam, cogitationem non esse vim quandam ab aliisque virtutibus separatam, sed, eam ipsam esse totam mentis naturam, sentiendi autem facultatem, voluntatem, imaginationem nihil esse „nisi cogitandi modos (seu „modifications“ Einschränkungen.)

\*\*\*\*\*) Ad veritatem alicujus rei judicandam quae sit sensuum vis, Hegelie nemo mihi verius simul et planius exposuisse videtur. (Encyclop. pr. ed. §. 370 Num. §. 390.)

cogitatio recte fabricatrix quaedam praestantissima et artifex nominatur, eaque talis, quae neque instrumentum, quo utitur, neque materiam, quam format, aliunde petere debeat. — Ob hanc ipsam cogitandi naturam (ut hoc quoque obiter attingam) quae cogitamus, quamquam in intimo mentis recessu recondita, pariter tamen sunt signata seu expressa, jam suapte natura prolata ac communicata quasi, ante ipsam communicationem, quae proprie sic dicitur; cogitantes enim, dum sumus in nobis ipsis, extra nos, i. e. has singulares personas, sumus. Aberrant igitur a vera rectaque cogitationis notione, qui inventum esse sermonem humanum opinantur, et quidem idcirco, ut per eum demum, quae cogitamus (scilicet, quod ea per se essent subjectiva et sensuum instar in animo nostro inclusa, et ad nosmet ipsos tantum pertinentia) communia fieri possint. Res enim longe aliter se habet, neque enim ideo, quia pronuntiat, cogitatum fit commune, sed quia natura sua est commune, ideo pronuntiat; cogitatum meum, antequam profertur, est jam extra me ipsum; quoquo versum quasi diffusum, per se ubique praesens.

Contemplati sumus adhuc  $\tau\delta$  cogitare, quantum attinet ad actum seu formam ejus sibi parem et perpetuam, et vidimus, sublatum esse in puro cogitandi actu individuum. Quum autem conscientia i. e. cogitatio, quae se solam cogitat, in se ipsam reflexa, a cognitione sese separat; ratio ipsa finita videtur, et individuum tantum ad cogitandi formam, non ad cogitandi materiam sublatum est.

## II.

### §. 8.

Nulla cogitatio est sine conscientia, et item contra. Quod vero sine altero id, quod est, neque esse potest, neque est, illud, quum adeo in rerum natura intime et arctissime sit conjunctum cum altero, est profecto in mente, ut quae non in tanta (extra se posita) discrimina discedat, quanta natura admittit, unum et idem cum altero. Conscientia non minus forma est, quam cogitatio sola sine cognitione seu materia; in conscientia me quidem a cognitione, sed non a cogitatione discernere possum; utraque non magis separari potest, quam lux et claritas. Quum ipsa conscientia nihil aliud est, quam cogitare; sed quae actus, qui se ipsum tantum \*) efficit et ponit, est illa  $\tau\delta$  cogi-

\*) „Das Ich ist das sich selbst Sehende und nichts weiter.“ „Dein Ich kommt lediglich durch das Zurückgehen deines Denkens auf sich selbst zu Stande.“ „Ein in sich selbst zurückgehendes

tare, quod nihil praeter se ipsum cogitat, sive quod per se sola in relatione ad se ipsum est, neque pertinet ad cognitionem et res cognoscendas. Quare conscientia, ut τὸ cogitare, quod se ipsam cogitat et simplicissima sui est unitas, eandem in se comprehendit determinationem, quae τῷ Esse convenit, quod simplex est, indeterminatum, indivisum a se, ad se unum, non ad alteram relatum. Conscientia ergo seu τὸ cogitare, seorsim spectatam ab cognitione seu a se, quatenus ad diversam et variam materiam habet relationem, est forma sui ipsius, quatenus est cognitio. — Nemo est, quia, dum modo in se ipsum introspicere seque diligentius considerare velit, facile inveniat, conscientiam nihil esse nisi formam, \*) cum autem, qui nihil esset, nisi Ipse, nihil haberet praeter sui ipsius conscientiam, neque quidquam sciret et cognosceret, aut amaret, aut quod sequeretur, sibi proponeret, ut breviter agam, nihil omnino definiti in conscientia contineret nullaque re eam expleset, plane nullam esse. Nam forma, quae, quantumvis sit ipsa actus omnisque determinationis capax, omnibus tamen careret determinationibus, talis, inquam, forma informis idem μὴ—ὄν esset, quod τὴν ὕλην, i. e. materiam, attributis suis et proprietatibus nudatam, quamquam omnibus rebus gravidam, veteres philosophi \*\*) dixerunt.

§. 9.

Est sane conscientia forma, sed infinita. Etiam si enim cognitionem infiniti, quoniam id in cogitationem cadere negatur, negligit conscientia, res tamen infinitas et innumeras in se comprehendit. Est illa sine modo et termino, atque prope abest, ut dicam, insatiabilem in se absorbere et devorare omnia. Quod tempori tribuit poeta, esse illud edax rerum, rectius, nisi me fallo, ad conscientiam referri potest. Quod si vel totius mundi in se contineret speciem, tamen expleri nequiret conscientia, neque unquam tam plena et referta fieri, ut immensis aliis rebus aditus ad illam intercluderetur; quin finge, nihil aliud in se complecti, nisi finita, tamen, ut per se non est finita, ita neque allatis admissisque rebus finitis ipsa finita fieri ullo pacto potest. Quomodo enim, quaeso, si ipsa esset

---

Handeln ist Ich" etc. (V. Fichtes Versuch einer neuen Darstellung der Wissenschaftslehre.)  
 Liceat mihi, coacto latini sermonis angustia, vocabula: Ego, conscientia et sui ipsius conscientia, sine significationis discrimine uti.

\*) Vocabulum formae Aristotelis sensu accipi debet, secundum quem forma est ἰστέχουα, ἰστέχουα. Ut anima corporis, sic conscientia animae aut mentis ἰστέχουα appellanda est.

\*\*) v. c. Plotinus, Aristoteles, Cf. Baile Geschichte der Philosophie S. 684. 335. 300. 301.

finita, res innumerabiles et infinitas caperet? Si non esset forma infinita, sed aliquid (hoc strictiori sensu: sumptum) \*) aliquid etiam, nec praeterea quidquam in se contineret, indefinita non comprehenderet. — Tum conscientia, quotquot varia et diversa et opposita in se receperit, media tamen in rerum conceptuum varietate et repugnantia sibi ipsi non sit contraria, sed constat sibi, manetque in ipsis, quas comprehendit, rebus diversis indivisa, et, repleta determinationibus innumeris, indeterminata simul i. e. sibi compar et congrua. Patet enim, si unâ cum rebus diversis et ipsa fieret diversa, earam sibi consciam esse non posse; ipsa enim in integra sui unitate immobilis persistet necesse est. In ea igitur unitate, quae ipsa est, conjungit res, quas continet, vel quo simplici modo conscientia in se ipsa est, eodem res comprehensae ipsi insunt; v. c. ut sciam, quid sit mensa, quid canis, quid stella, non est opus; ut ipse sim canis, mensa, stella; nam istarum rerum, quamvis toto coelo a me distantium, cum teneo scientiam, non turbatur, neque dissolvitur conscientiae meae pellucida aequitas et unitas. \*\*) Minime autem haec perfecta aequitas atque indissolubilis uni-

\*) Conscientia (seu potius τὸ Ego) eandem quidem determinationem in se comprehendit, quae τῷ Esse convenit, sed minime Aliquid est, id quod inani quodam studio contra Fichtium Dr. Forbergius (V. ejus Briefe über die neueste Philosophie III. Brief im philos. Journal etc. VI. 6) obtinere conatur. Tales enim cogitationes, qualis v. c. est aliquid, inferioris sunt ordinis, quam ut in mentem, aut cogitationem cadere possint; in rebus enim naturalibus illae tantummodo locum habent. Itaque τὸ Ego rectius nihil, absoluta omnium rerum negatio, posset nuncupari, quam aliquid.

\*\*) Similia similibus cognosci, ideoque animam, quippe quae omnia cognoscat, e naturae principii seu omnium rerum initiis constare, inter alios veteres Philosophos, Empedocles imprimis contenderat. (Arist. de ani. I. c. II. 13. 29 — 55. Sext. Empi. adv. Log. I. 92. 116 — 122.) Quam sententiam (simile simili cognosci) etiam nunc multi animo fovent, quum Deum comprehendi posse negant; qui enim Deum cognosceret, ajunt isti, ipse Deus esse deberet. At ob hanc ipsam causam, quod non Deus sum, Deum cognoscere possum; nisi distinctus sum et me discerno a re cognoscenda, ejus cognitionem capere non possum; differentia enim et distinctio omnis cognitionis est fons et conditio prima. Quamquam simul id alterum adjiciendum est, mentem non esse diversam a rebus cognoscendis, quin imo ipsam esse quas cognoscit res. Ἡ ψυχὴ τὰ ὅντα πᾶσι ἐστὶ πάντα, ut recte ait Aristoteles. (de ani. III. IX. VI. V.) Quod etiam Mystici, quos vocant, pro suo scilicet ingenio atque cogitandi modo senserunt; v. c. Angelus Silesius (V. Cherubin. Wandersmann, München 1827 I. 89. Es liegt alles im Menschen 140. Der Mensch ist alle Ding 192) et Taulerus, qui haec dicit: Die Seel hat eine geistliche Statt in ihr, in der hat sie alle

tas in aliquid cadit, h. e. in rem vel substantiam aliquam (si quidem haec vulgari sensu accipitur) sed solam in formam, eamque infinitam. — Quodsi ergo humanae mentis rationi nulla relinquatur cognitio, nisi veritatum singularium, finitarum et particularium. — quae, si quaeris, donec desideratur una et tota veritas, nullae sunt. — v. c. rerum gestarum, legum quarundam naturae, morum, cogitandi etc.; cogitatio, quamvis sit finita materia, tamen infinita est, quod attinet ad formam seu actum ejus.

§. 10.

Conscientia sui ipsius autem, (quum, velut exempta ex mente infiniti ipsius perspiciendi facultate, neglectaque veri ipsius, sive Dei, sive ejus rei, quae per se est, cognitione, nullum alterum Objectum, quod ipsi (conscientiae) par sit et aequale i. e. infinitum ipsum, quale est conscientia, neque quaerat, neque habeat) \*) libera est ac sejuncta a materia sua, quae est finita, atque a cognoscenti cogitatione, ideoque sibi ipsa sola unum illud Objectum, quod ipsi plane respondeat. Conscientia porro infinita, utpote supra omnem materiam suam finitam posita, quam tamen simul minime negligit, ideo etiam rationem (vel cognoscentem cogitationem, quae sub cogitandi quibusdam formulis res concipit, certisque occupata est et quasi

---

Ding sonder Materie, als (wie) die erste Sache alle Dinge in sich hat sonder Materie. (V. ejus Prebigten CCLXV.) Sed id probe est tenendum, cogitationem ipsam sibi esse veritatis modum et criterium; h. e. mens est res, non illae quidem, quoad simpliciter sunt, sensibiles, non — cogitatae, sed non est res nisi qua cogitandae et cogitatae sunt, ita ut veritas non in unitate cogitationis et rei, sed cogitationis et cogitati sit posita, et cogitatio sibi ipsi soli constet et consentiat. Ἡ δὲ τῶν ἀληθείᾶν οὐ συμφωνοῦσα ἀλλῶ, ἀλλ' ἑαυτῇ. (V. Plotinum in Kirners Gesch. der Phil. I. §. 168) Aristoteles igitur recte dicit, animam non esse res ipsas, sed earum formas seu species (δὲ νοῦς εἶδος εἰδῶν, τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν c. 5. de ani. \*) sive intellectum esse intelligibilia, minime autem res, quoad sunt duntaxat, cogitatione destitutae. Cogitationis igitur rei-que unitas intra ipsam cogitationem locum habet, non extra eam; licet in se ipsa perseveret, rem tamen in se comprehendit, in sui ipsius unitate eam concludens.

\*) De hac re Plotinus imprimis praeclare disserit: das Wesen der Dinge besteht lediglich in ihrer Form, und diese ist wiederum nichts anders, als die Idee des Dings V. Buhle Geschichte der Philos.

\*) Quum id, quod verum et infinitum, e cogitatione sublatum est, conscientia sui ipsius in vacua infinitate sua propria acquiescit, itemque contra, quum conscientia, ad se unam relata, a cognoscenti cogitatione se separat, ratio finita declaratur; utrumque una est et inseparabile; et si nos unum ex altero consequi facimus, sine ullo discrimine unum pro alterius poni potest causa rationeque.



impleta argumentis) infra se ipsam collocatam habet, quatenus illa (conscientia sui ipsius) est tantummodo forma vel abstracta sui cogitatio, rejecta omni determinatione et cognitione. \*) Quin imo ipsum cognoscere, vel cognoscens sive determinans cogitatio (nimirum quum infinitum ipsum, una et tota veritas, quae Omnia est, remotum sit a cognitione) est duntaxat modus quidam conscientiae i. e. cogitationis indeterminate, ut quae ad se unam referatur, atque inter alias relationes, quas multas conscientia habet, una et particularis. Unde sequitur, ut, (quum individuum singulare ab conscientia sui ipsius illa abstracta et infinita, quae per se est universalis, se non disjungat et discernat) ratio ipsa non accipiatur pro substantia et essentia individui, sed hoc potius pro substantia illius, referaturque ratio in censum facultatum et virium, quarum omnium universitas et complexio, quae illas contineat, hocce individuum est. Ergo individuum sui sibi conscium sejugatumque ab omni cognitione et determinatione, quum se ipsum infinitum ponit, rationem finitam esse declarat. Ubi enim verum ipsum ex mente exemptum est, homo singularis i. e. individuum μέτρον illud fiat necesse est, quo omnia judicantur, ad quod omnia referuntur, ex quo omnia proficiuntur, ut recte in hominem tum cadere videatur illud Protagorae: Πάντων Χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος. Homo enim, si quis verum sub veri ipsius specie concipi posse negat, res ex se metitur et in se cernit, neque eas sub specie aeterni et infiniti, sed sui ipsius (hominis) spectat. \*\*) Negata ergo veri ipsius perspicientia et cognitione, individuum id unum est, quod certum, quod firmum et infinitum, quin imo id unum, quod est omnino. \*\*\*) Negare enim, veritatem ipsam comprehendi posse a ratione, est negare, esse veri-

---

\*) Nos delineare hic eam philosophiam, quae germanice vocatur Philosophie der Subjectivität, et omnino nostri saeculi ingenium, nemo non facile cernit.

\*\*) Saepe negare, posse verum cognosci, modestia dicitur. Recte vero Hegelius: "Es ist wohl die schlechteste der Tugenden eine solche Bescheidenheit des Denkens, welche das Endliche zu einem Absoluten macht und die ungründlichste der Erkenntnisse, im Unwahren stehen zu bleiben." (Encycl. S. 208)

\*\*\*) Huc pertinet recentiorum quoque Theologorum doctrina de immortalitate individui, quae et a ratione ipsa et scriptura sacra aliena est. Auctores enim sacrorum librorum de poena infernali aeterna improborum et de beatitudine aeterna hominibus ut religiosis et Christianis destinata loquuntur; hodie autem individuum nudatum omnibus qualitatibus omnibusque rebus, per quas solas verum aliquid est vel potius est omnino, et ipsum per se ut individuum, quo nihil mortalius et finitius potest cogitari, immortale habetur.

ritatem. \*) Nec non hinc consequitur, ut individuum, quippe quod ipsum idque solum sui sit substantia, cognoscendi argumentum non ex ipsa cogitatione petat, sed sive ex se ipso, sive ex immediato animi sui statu, sive e rebus extrinsecus objectis, ad quas non patet aditus, nisi per sensus. Atque individuum, quando nullam aliam materiam habet, quam se ipsum, adeo in cogitando ac philosophando ipsum est, \*\*) ad sese relatum (subjectivum) solummodo ad formam et actum cogitandi universale et sublatum, sed non ad materiam, quippe quam, licet ex se ipso sumtam, infra se ipsum positam habet individuum, quatenus sui ipsius habet conscientiam.

§. 11.

Atque hunc locum plane illustrari posse spero; si formis aliquot utar, quae proprietatim modo in rerum naturam cadunt. Conscientia pariter est, atque cognitio, cogitatio;

\*) Sunt quidem res, quoad singulares sunt et in sensus incurrunt, extra cogitationem, at veritas ipsa, rerum essentia et interna natura fieri nequit ut sit extra cogitationem. Cogitatio seu cognitio locus aut τό Esse veritatis recte nuncupari posset.

\*\*) Haec res quamquam est major, quam ut paucis absolvi possit, aliquot tamen locos afferam, plures allaturus remque omnino amplius explicaturus, nisi cogerer dispatiuunculae hujus angustiis. Haec sunt Weilleri verba: „Wer mit freiem Geiste Philosophie sucht, der walfahrtet zur Wahrheit, nicht als zu einer heiligen Leiche, die ausschließlich und ganz nur in der Bahre irgend eines Systemes begraben läge. Was auch die Systeme von ihr aufbewahren mögen. Es können doch nur Reliquien seyn. Er will sie selbst. Und sie selbst (die Wahrheit) findet er nur in dem lebendigen Heiligthume schöner und heiliger Gefühle und Gesinnungen.“ Anleitung zur freien Ansicht der Philosophie §. 530. „Das Element aller menschlichen Erkenntniß und Wirksamkeit ist Glauben“ (h. e. sensus immediatus rei alicujus, qui ad me solum pertinet, neque a me ipso amoveri potest) ait Jacobi (V. Ueber die Lehre des Spinoza 172.) Novalis, qui et ipse huc pertinet, haec dicit: „Vollkommenes Wissen ist Ueberzeugung.“ (V. Nov. Schrift. v. Schlegel u. Tieck Fragmente 201.) „Philosophiren ist eine Selbstbesprechung.... eine eigentliche Selbstoffenbarung, Erregung des wirklichen Ich durch das idealische Ich.“ (S. 123) Philosophie ist die Intelligenz selbst“ quae sententia, siquidem vocabulum: Intelligenz secundum Novalis ingenium nihil aliud significare potest, quam ipsum Scire et Intelligere nudatum omni materia objectiva, vel internum et subjectivum sciendi intelligendique motum, minus veritati consentanea est judicanda. Multi nostrae aetatis philosophi adeo id, quod nunquam recipi potest in philosophiam, sed semper extra eam situm est, individuum singulare et fortuitum (i. e. se ipsos), philosophandi principium argumentumque sibi sumere studuerunt, et in locum absolutae et objectivae unitatis cogitationis et rei, quam alias philosophi posuere, unitatem sui ipsorum et rei, sive unitatem philosophorum et philosophiae suffecerunt.

sed illa est cogitatio, quae non est, nisi ad se ipsam relata, cognitio autem est ea cogitatio, quae per relationem ad res itidem ad se refertur; quodsi enim relatio ad res non itidem esset conscientiae ad se ipsam, quomodo tandem eas sciret et cognosceret? — Conscientia rite appellari potest genus propterea quia, utpote \*) relatio ad se ipsam, primigenia est relatio, eaque, per quam solam fieri potest cognitio, quaeque servatur non minus in sui ipsius cogitatione, quam in cognitione, ac perpetua est, non interrupta, sibi que constans et aequalis per omnes suas cognitiones cogitandique formulas. At contra cognitio, praecipue quum non nisi ad res certas et definitas — quippe hae solae cognitioni sunt relictæ — pertineat, easque sub certis quibusdam finitisque cogitandi formulis concipiat, species conscientiae nuncupanda est, et quidem propter id ipsum, quod primigeniae illius et permanentis relationis ad se ipsam determinata quaedam et particularis est relatio. In rerum natura genus, quod, singula individua finita et mortalia si spectes, infinitum et universale est, in multas variasque species dirimitur, quae pariter non sunt, nisi in individuis, ita ut in rerum sensibillium universitate individua tantummodo sint. Genus sic nihil est praeterquam forma notioque abstracta, materia autem concreta; et esse generisque determinatio individua sunt in rerum natura, neque existit genus nisi in generatione et interita individuorum, (generis enim manifestatio est mors singulorum) tolliturque, dum manet et stat universale, singulum individuum, sed duntaxat formaliter, non vere et penitus. Est enim mors omnibus quidem individuis sors communis, qua omnia sunt inter se paria et negantur, at, quamquam innumerabiles cujusdam generis partes, quae certo nascuntur vivuntque tempore, negantur seu exstinguuntur, infinita tamen alia individua mortuorum in locum semper succedunt; et sic quidem hocce individuum, quod nunc ipsum vivit, superatur a natura et interit, sed non individuum ipsum generaliter seu individualitas, neque unquam materia ipsa fit universalis sive generalis. Conscientia est igitur genus, ejusque species cognitio, quippe quae ad diversas res ipsa diversa quaedam sit et fracta quasi conscientiae relatio, quae est simplex suique similis relatio ad se ipsam; sed illa (cognitio) continuo dirimitur in cognitiones, vel multas diversasque species, atque hae itidem nihil sunt aliud, quam collectio quaedam et complexio innumerabilium rerum finitarum et singularium. — Ad infinito, quod quidem vere est infinitum, si discesseris,

\*) Etiam Hegelius (V. Phänomen. d. G. S. 168 ubi de Idealismo, quem vocant, exponit) nominat eam sui ipsius conscientiam seu Ego: die reine Kategorie, die Gattung, deren Arten die vielen Kategorien.

non minus vulgares illae et finitae cogitandi formulae, sub quibus res concipiuntur, quam cognitiones ipsae, qualescunque fuerint, etiamsi descriptae quaedam sint universitates; tamen, ad conscientiam si referantur, quae genus est et universale, particulares sunt, et finitae seu species tantum quaedam. Quam ob causam, ut in rerum natura se junctum est individuum (Concretum) a genere (Abstracto), ita hic inter se discrepant materia et forma, sive cognitio et cogitatio, sive  $\tau\grave{a}$  Esse, quod cognitio est, et universitas, quae conscientia; sine ulla enim determinatione, ut docuimus, prorsus nihil esset conscientia, ideoque cognitio, eaque imprimis  $\tau\grave{a}$  Esse conscientiae appellari potest. Atque sicuti in rerum natura in delendis generandisque singulis genus apparet, sic sui ipsius conscientia ex altera parte ea sola cognoscenda sibi sumit, quae sunt finita et singularia, suumque Esse non habet, nisi in cognoscendis finitis; ex altera eadem velut nex est omnium cognitionum suarum, et fatum immobile, quod, ipsum indeterminatum, omnia determinata in nihilum redigit, i. e. conscientia vel potius individuum singulare, sui sibi conscium, dum omnibus suis cognitionibus et rationi ipsi nihil, quod sit absolute verum, infinitum, divinum, inesse declarat, se solum, ab omni cognitione et determinatione sejunctum, scit et concipit ut infinitum, atque in hac vacua et non mixta infinitate posuit se extra rationem vel supra ipsam, quippe quae est determinans et cognoscens cogitatio. — Patebit nunc, quod supra diximus, individuum sublatum esse secundum formam quidem cogitandi, sed non secundum materiam, seu, quatenus cogitat, minime vero, quatenus scit et cognoscit.

### III.

#### §. 12.

Quemadmodum autem necesse est, ut, quae in rerum natura diversa sunt separataque (genus et singulare), eo usque se explicent et suapte natura internòque impulsu eo usque propellantur, ut utrumque sibi fiat aequale \*), vel ut Esse ipsum fiat universale, vel ut universale adsit, qua universale, sive genus, ut genus, quod fit, cum mens naturae vinculis soluta existit: ita conscientia eo usque natura sua seu forma infinita progredi cogitur et impellitur, ut argumentum, quod ipsi par sit et aequale, objectum sibi habeat et complectatur, i. e. ut rem, quae per se est infinita, in se contineat et

---

\*) Cf. Hegelii hujus loci expositionem Log. III. §. 296. 297. et *Phänomenol. des Geistes* §. 109. 110.

cognoscendam sibi sumat, ideoque conscientia, quam infinitatem antea habuit, prout sibi uni erat atque in se ipsa (soluta, amotaque ab cognoscendo), eam non amplius sibi velut retineat, sed se ipsam et infinitatem suam in determinationem ipsam et cognitionem transfundat atque immittat. Tum non amplius exstat inanis illa infinitas, sed impleta est; una cum materia sua nunc conscientia infinita est, non remota ab omni specie et cognitione, qualis prius erat; et sic sublata est sinistra illa repugnantia et differentia inter formam infinitam et materiam finitam, inter cogitationem et cognitionem, conscientiam et rationem. At ille quidem conscientiae transitus ad infinitum \*) ipsum ejusque cognitionem, quae nunc ideo, quia est infiniti, ipsa fit infinita, minime est saltus quidam mortalis, quem vocant; infinita enim forma, qualis est cogitatio, infinitam sibi-que congruentem exigit materiam, qualis est infiniti cognitio; forma et materia unum fiant necesse est. Qualis forma, talis materia omnino esse debet, quae, quum in ipsis rebus naturalibus, quamvis distenta simul et sejuncta, ita tamen inter se copulentur, ut separari non possint, quanto magis in mente uniantur sibi-que congruant necesse est. Illa enim formae et materiae concordia, quam, quantam omnino potest \*\*), conficit re-

\*) Quum de infinito, et infiniti cognitione et comprehensione loquor, minime dico illam numeri sive extensionis infinitatem, quae ipsa est finita, quia non in unum comprehenditur, neque ad verum finem pervenit, quamque Hegelius nominat: „schlechte quantitative Unendlichkeit.“ recteque judicavit et ponderavit, (Vid. Log. I. §. 186 u. f. w.) sed id dico, quod per se est, quod revera est. Illam extensionis infinitatem finitam jam Iord. Brunus rejectit, eique opposuit Minimum, quod sit simul Maximum, ubique praesens, Monadem, quae sit omnis numerus, Unum sive Atomum, quod sit Omnia et Totum. Quare immensum, inquit Brunus, nihil est nisi centrum ubique; immensum corpus atomus, immensum planum punctus, Monadem praeter nihil est; quia corpora nil citra atomum, planum nihil extra punctum putandum Cf. ejus librum de Triplici Minimo et Mensura ad tri. specu. etc. Francof. MDCXXIX. c. 2. 4. 6.

\*\* ) Non eam igitur de natura opinionem animo concipere debes, ut opineris, esse illam Esse, aliquid, quod stet, quod firmum et per se sit, atque undique expletum omnibusque numeris absolutum. Penitus enim in se ipsa rerum natura est repugnantia, utpote quae omnino non perveniat ad veram unitatem, sed, quae per se sunt una res indiscreta, ea in diversas diremtasque partes diducat, ideoque nihil aliud est, nisi Fieri, genesis et conceptaculum (Geburtsstätte) mentis, ita ut vera naturae essentia non ipsa natura, sed mens, quae est extra et supra illam, judicanda sit. Quapropter quoque sola superficies et species (Außenseite) naturae tranquillat, interiora terrent et repellunt, quum contra hominis vel potius mentis species, ut ita dicam, horrorem, interiora summam adferant tranquillitatem. „Wo die Natur aufhört,“ inquit Taulerus, „fängt Gott an.“

rum natura, cum in multis aliis, tum imprimis in corpore nostro, quo vivimus, cernitur. Sensus nempe, (ut hoc utar) utpote qui instrumentum quoddam sit, et aliquid sentiendi ac recipiendi potentia, potest sumi pro forma, res contra, quas in ipso sentiendo percipit, pro ejus materia. Ea autem est sensus conditione, ut ad id unum, quod accipit, accommodatus sit et idoneus, neque ad aliud quidquam se applicet, nisi quod congruat ipsi. Nunquam enim v. c. oculus aurium partes suscipere appetit earumque induere naturam, neque tendit visus ad quidquam, a quo repellatur, quodque supra vires conditionemque ipsius sit, neque igitur unquam terminos quosdam naturae suae impositos sentit, sed eo ipso, quod intra fines naturae suae constitutos se tenet, neque alterius sensus fungi cupit murrere, in actu suo quodammodo est infinitus. Cogitatio non iis circumsepta est limitibus, quibus sensus, neque est certa quaedam et determinata forma, quae ad determinatas quasdam res recipiendas sit apta, neque particularis, quae itidem particularia hauriat, sed forma simpliciter universalis et per se infinita, quae eadem necessitate, qua oculus lucem seu colorem, aures sonum, omnino sensus ea, quae sub ipsos cadunt, in se recipiunt, id, quod Unum est, Totum, Omne, Infinitum, Universale, rerum omnium naturam cognitionis suae argumentum habeat. Cogitatio porro et sensus (ut generatim mens et natura) hac re maxime inter se differunt, quod cogitatio per se ipsa est unitas formae et materiae, Sui Ipsius et Alterius, (rei) quippe quae talis est actus, in quo (cf. N. I.) in universam Due unum sint, et quae alias aut partita sunt, aut conjuncta, sed in ipsa conjunctione sibi contraria et diversis quasi locis disposita, in unitatem redeant dilucidam; neque enim in mente, ut in rerum natura, aliud est, quod cernit, aliud, per quod cernitur; sed mens est oculus, eademque sol sive lux et objectum, se ipsam enim cernit, neque per quidquam aliud, sed per se ipsam. Est igitur cogitatio, utpote forma infinita, cognitionis. Infiniti potens et capax, propterea quia omnino et per se ipsa cogitatio est formae et materiae unitas. Profecto cogitatio certis quibusdam adstricta limitibus, cui ad determinatas quasdam res (τὰ Φαινόμενα) aditus tantum pateret, interclusa via ad id, quod Unum, Totum et Omnia est, non cogitatio esset, sed sensus.

§. 13.

Praeterea illam necessitatem, ideoque potentiam, infinitum ipsum mente comprehendi, indicat etiam illud veri reperiendi sive rerum cognoscendarum studium, quo ardet homo, quodque illi est insitum et innatum. Atque id ipsum illius studii est proprium, ut non ad Kantii aliorumque, qui illius vestigia sunt persequuti, praescepta se

componat, neque iis regionibus ac terminis contineatur, quos illi philosophi menti affingunt, sed ut nos e nobismet ipsis quasi expellat, omnibus finibus et qualibet determinata cancellisque circumscripta scientia extrudat, et ad veri infinitique indagacionem atque cognitionem nos rapiat, idque non minori vi, quam qua ad terrae centrum omnia corpora feruntur. \*) At quodvis naturae principium est quaedam necessitas. Habet autem omnis necessitas tantummodo inter duas res omnino locum, quae, licet segregatae et distentae, inter se cohaereant conjunctissime, ita ut altera sine altera esse non possit. Sic, quum sitio aut esurio, ab iis rebus, quibuscum natura sum unitus, sejugatum remotumque me sentio, ideoque, quod per se sum conjunctus cum rebus externis, eas desidero et appeto. Neque enim corpus meum, nisi consociatum esset per se cum iis rebus, quas desiderat, dolores i. e. sejugatum sese ab iis posset sentire. Fieri ergo non potest, quin etiam in ipso desiderio quodam modo adiat res desiderata; atque id ut ad corpora, sic ad mentis studia cupiditatesque omnes pertinet, quae quidem in ratione seu natura ipsius posita, neque fortuita et particularia, sed per se communia sunt, et quidem tanto magis ad mentis studia interna, quod generatim non ita dissipatur dirimiturque, ut natura. Qua de causa non esset in me desiderium cognoscendi id, quod verum et infinitum, si ejus desiderii explendi facultas data foret nulla; neque \*\*) enim appeto quidquam, nisi quod assequi pos-

\*) Temperare mihi non possum, quin in medium proferam praeclarum quendam Jord. Bruni locum (cf. Fülleborns Beiträge zur Geschichte d. Phil. VI. St.) „Welches ist nun dieses Geistes Ziel und Bestimmung? Zu erreichen das höchste Wahre für den Verstand und das höchste Gut für den Willen. Daß dem also sei, davon zeigt schon die Unerfättlichkeit des menschlichen Verstandes und Begehrungsvermögens. Wo wir noch eine Wahrheit, noch ein Gut ahnden, da richten wir unsre Erforschung, unsre Wünsche hin. Angeboren ist dem Menschen der Trieb nach Vollkommenheit. Unerträglich findet er das Manchmal, Irgendwo, Einzeln, Theilweise, Einiges: er will das Immer, Ueberall, Allgemein, Ganz, Alles. Unbegrenzt ist sein Sinn, denn wohin er auch gehe, überall findet er sich im Mittelpunkt, unbegrenzt seine Einbildungskraft. Und dieses Streben des Geistes nach Vollendung ist nicht leer und ohne Gegenstand.“

\*\*) Qui hanc rem probe intelligere velit, monendus est, ut secum reputet discrimen, quale sit inter desideria rerum fortuitarum et extranearum, quae non pertinent ad nostram naturam ipsam, et per se alienae sunt a nobis ipsis, et desideria earum rerum, quae intime cohaereant cum interiori nostra veraque natura, atque ex ipsa proficiscantur. In illis enim desideriis, quae ipsa sunt fortuita, quia sunt rerum fortuitarum, disjunctum est Posse ab Ap-

sum, imo ipsum illud appetere jam est posse; \*) habeo jam (potentia quidem), quod desiderio amplector. Nam nullum studium, quod quidem naturale sit, neque in casu positum, vacuum est ac nudum ab ea re, cujus est studium; alioquin enim non hanc ipsam rem, quam appeto, sed aliam nescio quam appeterem, id, quod tam absurdum esset, quam quod absurdissimum. Adest ergo in desiderio id, quod abest, \*\*) atque adeo in studio infinitum cognoscendi ipsum illud infinitum continetur, sed ea sub forma, \*\*\*) quae minime congruat cum argumento suo, ideoque studium ipsum motus est et actus, eo tendens, ut res ipsa, quae adest, sed in animi recessibus intimis abdita quasi et involuta est, transeat (e studio meo) in cognitionem perspicuam et informationem expressam. \*\*\*\*)

pettere, Habere a Non - habere, appetitus et a re appetita, et a conditione causaque, rem appetitam assequendi, ita ut penuria nihil sit nisi penuria, appetentia nihil nisi appetentia. Quam ob causam vehemens cupiditas v. c. opum, honoris, gloriae, regnandi, eo ipso, quod nihil est nisi cupiditas, optime apud nos Germanos dicitur: *Sucht, Habz, Ehrz, Ruhmz, Herrschsucht*, nam hujus generis cupiditates non sunt proprie studia, *Triebe*. Studium enim talis est cupiditas, quae per se ipsa sit actus, remque, ad quam fertur, et conditionem causamque, hujus rei consequendae, in se ipsa contineat. Nam quod ad studium attinet, est ipsa penuria possessio, ipsa absentia praesentia; mea enim universalis i. e. vera et interior natura est medium quiddam conjungens mei ipsius, appetentis, et rei appetitae.

- \*) Itaque quodvis studium est potentia, vis, facultas, vel studium nihil aliud est, quam actiosa potentia. Meum enim Posse est per se ab initio tantum aliquid internum, reconditum, iners et placidum, seu quiescens; studium autem est  $\tau\delta$  Posse, quod existit et appetet, quod in actu et motu est.
- \*\*) Omnino autem est quaevis absentia non mera et inanis absentia, ut obscuritas propterea, quia non caloris, non aeris vel cujusquam alius rei, sed lucis, hujus unius et determinatae rei est absentia, ipsa est determinata quaedam, specialis, ideoque, ut ita dicam, positiva seu concreta, non mera absentia. In ipsa igitur absentia id inesse debet, quod abest, quodammodo.
- \*\*\*) Inest in nobis res expetendo, non illa quidem, qualis per se ipsa est, sed ejus species seu imago atque umbra.
- \*\*\*\*) Hanc rem etiam sic explicare licet: studio cognoscendi quum tactus sum, penuriam sentio rei, quam non ideo, quia jam cognitam habeo, aut quondam possedi, sed, quia neque cognosco, neque habui aut habeo, appeto. Illam igitur penuriam ut sentirem fieri nequiret, nisi simul penuriam ipsam per se sublata sentirem, seu quid mihi inesset, cui non deest ea ipsa res, qua ego careo, i. e. nisi particeps essem rationis ipsius, qua per se sunt om-



§. 14.

Denique etsi tum demum ratio explicata et perfecta existit, cum cognitio fit aequalis cogitationi, ideoque individuum scientiae argumentum unum et omne esse desiit, et sic funditus sublatum est et superatum in cogitando individuum; integra tamen ratio jam involuta est et implicata in ea cogitatione, quae se ipsam solam cogitat. Nam primum conscientia, quum omnium suarum cognitionum sit deletrix, quae nihil, quod omnino simpliciterque sit verum et infinitum, illis inesse dicat: tamen in eo ipso, quod veritatis sese participem esse negat, veritatem videt i. e. repugnantiam illam, quae est inter materiam finitam et infinitam cogitationem. Ergo aliam materiam huic constitui debere, ejus naturae accommodatiorem, significat, et sic jam integram meramque rationem persentiscit, eam, quae sit unitas cogitationis et cognitionis. Deinde in conscientia duo sunt discernenda, cogitatio nimirum, quae ad se unam refertur, et se ipsam cogitat, atque cogitatio, quae illa restrictione relationis ad se ipsam caret, quam cogitationem initio tractavimus, atque, quamvis diffusam quasi per omnia individua, continuam tamen et perpetuam, suique similem per omnia cohaerere, omnibusque in hominibus ad formam quidem integram illibatamque apparere obtinuimus. Quatenus illa cogitatio, in se ipsam reflexa, ac, sese cogitans, conscientia est; illa prima perpetuitas continua atque constantia interrupta est. Quod, quam brevissime potest, attingamus, antequam illud discrimen, quod ipsi conscientiae inest, significamus. Conscientia sive  $\tau\delta$  Ego pro prima originalique cogitatione, vel cogitationis ipsa ratione causaque nullo modo accipi potest. Contra ei cogitationi, quae ad se ipsam pertinet, puram seu cogitationem non interruptam, nec in se distinctam, vel conscientiae cogitationem generatim, ut illius originem rationemque, antecedere debere, etiam apparet, quum utraque non modo ad homines, sed etiam ad res earumque cognitionem consideratur. Conscientia enim, etsi ad ipsius propriam naturam rerum cogitatio et cognitio pertinet, non tamen per se ipsam, sed per cogitationem res extrinsecus objectas et cogitat et cognoscit; dum enim cogitat, adstricta quasi est necessariis et universalibus cogitandi formis, sub quibus rerum concipiat notiones. Atque illae formae non

---

nia cogitata et cognita. Quum quodlibet hominis studium relationem exprimat, quae intercedit inter ipsum, utpote singularem, et universale aliquid, quod etsi conjunctum quodammodo, simul tamen separatum est ab eo — nam cuilibet studio repugnantia inest; — etiam rerum cognoscendarum studium sic defini licet, ut sit illud studium, quo homo tendit et conatur se ipsum superare ac tollere ut individuum, utpote quod se junctus et separatus est a ratione.

sunt genitae ex conscientia, quum haec sit opposita, et se ipsam opponat rebus, contra illae formae eo ipso, quod sunt necessariae, neque ex experientia collectae, neque a conscientia aut omnino subjectiva cogitatione creatae, rerum ipsarum et cogitationis convenientiam quandam absconditam exprimant significantque, cujus causa ratioque sola in cogitatione objectiva quaerenda est, quae conscientiae antecedit ipsaque prior sit necesse est. Quod cogitata universalitatis forma sunt praedita, sublatoque discrimine, quod alias inter me ipsum et alterum intercedit, non divisa nec interrupta alteri impertiri possunt, ex eadem illa cogitatione objectiva et originali, non ex conscientia pendet. Quantumvis mea cogitata, quod adinet ad argumentum, diversa sint, quin contraria et opposita alterius cogitatis, quantumvis ab altero ipse distem, utpote conscius mei ipsius, ut hominis singularis et particularis; inest tamen simul nobis utrisque cogitatio, non discreta mei ipsius et alterius discrimine, neque divisa interruptae conscientiae mei et alterius, sed, nullo quasi interjecto intervallo, secum ipsa cohaerens, separata a memet ut singulari, a se ipsa inseparabilis. Haec igitur cogitatorum forma, secundum quam cogitatio in omnibus hominibus, quantumvis exiguus sit numerus recte vereque cogitantium, sibi compar et similis apparet, ex conscientia non proficiscitur, neque in ea est reposita. Conscientiam universalem esse seu communem, nemo non intelligit, nisi forte particularem quandam hominem cum ipsa conscientia confundit. Quilibet enim homo non quidem dives est, honoratus, felix etc., quilibet non quidem poeta est, musicus, medicus etc., at nemo non est Ego; illud tantum respiciens, quod quilibet est Ego, nulla ratione habita rerum particularium, quas fere quilibet homo secum ipso, quoad Ipse tantum, Ego est, miscere et pro Se Ipso accipere solet, nihil habes, quo unum ab altero, quorum uterque est Ego, discerneres. Sed, qua conscientia unus non magis Ego est, quam alter, eadem unus quisque singularis se ipsum, qui est ratione naturae, rerumque particularium, non ratione conscientiae ab altero disjunctus, sejungit ab illo. Conscientia hominem non reddit, sed ostendit discretum; quemadmodum solis lux, licet ipsa per se simplex, indiscreta, atque communis, res per se ipsas varias, diversas, sibi que contrarias ostendit, sic communi conscientiae luce unusquisque singularis se ipsum simul cernit. Quamvis discretus esset unus ab altero ratione naturae rerumque particularium, nisi conscius sui sibi esset, nisi se ipsum sciret discretum; non esset discretus ab altero, ita ut conscientia discernendi potentia ratioque generalis, atque ipsius differentiae et singularitatis principium universale sit censenda; ideoque conscientiae, quippe quae sit quidem Universale (cogitatio), sed quatenus huic singularitatis ipsius forma generalis inest, hominum

absoluta unitas, quam cogitationem esse supra obtinuimus, perpetuaque constantia et simplicitas cogitationis sit interrupta.

Cogitatio, qua se ipsam tantummodo cogitans conscientia est, eo, quod ad se unam pertinet, ipsa fit sui ipsius terminus et limitatio, eandemque habet \*) determinationem (ut supra diximus), quam τὸ Esse omnino seu simplex quaedam qualitas, quae in se ipsam perseverat reflexa, sui que unius tenax et capax, atque ab aliis rebus separata sibi soli est. Habemus igitur jam in ipsa merae conscientiae unitate, qua simplicius non cogitari quidquam potest, dyadem quandam h. e. cogitationem per se, ac determinationem, seu restrictionem relationemque, quod utrumque in cognoscenti cogitatione inest. Habemus determinationem, quae est cognitionis, simulque illius negationem, quae est cogitationis.

Ego enim, dum mei habeo conscientiam, ipse et id sum, quod scitur, sive res, et id, quod scit, actuosus \*\*) ergo simulque patibilis sum, cogitans et cogitatum. Quapropter jam cogitatio ipsa, qua tantum est conscientia, materiam sibi objectam habet, sed ipsa sola, quae est nihil aliud nisi pura forma, omni immunis materia, sui est argumentum, h. e. conscientia est cognitio, sed talis, quae duntaxat sit ut cogitatio. Sunt igitur illa quidem momenta (cogitans et cogitatum) quae in qualibet insunt cognitione, omnisque scientiae naturam constituunt, jam in conscientia ipsa contenta, sed cogitatio et cognitio adeo unum et idem, ut vix una ab altera possit discerni, quum contra in ratione, ubi vere apparet ratio, quamquam distinctae sint cogitatio et cognitio, eadem tamen in utraque sit infinitas, et utraque alteri par et concors. Qua de causa latet jam integra ratio in illa ipsa cogitatione, quae se solam cogitat, atque ut ratio, qualis per se est, manifestetur, hoc solum requiritur, ut illa momenta modo simplicissimo, indiscreto et involuto comprehensa, ex hac unitate, qua velut coalita sunt, distrahantur, liberentur, distinctaque et expressa procudantur et explanentur. \*\*\*)

\*) Scilicet cum hac exceptione, ut, quae determinatio per se sola est ipsa integra plenaque τὸν Esse natura, eam ut particularem quandam determinationem in se comprehendat conscientia.

\*\*) „Das Ich ist nicht zu betrachten, als bloßes Subject, sondern als Subject-Object.“ „Die in sich zurückgehende Thätigkeit als feststehend und beharrend aufgefaßt, wodurch so nach beides, Ich, als Thätiges, und Ich, als Object meiner Thätigkeit, zusammenfallen, ist der Begriff des Ich.“ Vid. Fichtes Versuch einer neuen Darstellung der Wissenschaftslehre S. 13 S. 20 et Schellings System des transcendentalen Idealismus S. 40 42 43 etc.

\*\*\*) Quoniam in conscientia penitus unum idemque esse cogitationem et cognitionem diximus, et veram rationem tum apparere, cum in unum coeant cogitatio et cognitio, perspicuitatis causa adijcimus, omnino in qualibet re probe esse tenendum, eam solam unita-

## IV.

### §. 15.

\*) Ex omnibus iis, quae hactenus sunt explicata, liquet, rationem non esse finitam, neque humanam omnino. Nam vocabulum homines sic accipi solet, ut nihil aliud praeter individua significet, ac vocabulum humana sic, ut communes proprietates, virtutes et facultates horum hominum singulorum et innumerabilium significantur. At satis mihi videor demonstrasse, rationem non esse individuam, sed simpliciter universalem seu communem, quum vel ipsum cogitare omnino, praecipue autem illud, quod aequale est cognitioni, hoc sit: non esse individuum aut particulare; atque in cogitatione individua, ceteroquin discreta, sublata esse, sive universalem esse rationem, idem valeat, ac si diceres, unam tantummodo esse rationem, id quod jam dictum est a philosophis bene multis.\*\*)

Non enim inter unum esse et universale esse, quidquam interest; individuum enim non vere est unum, quia est unum ex pluribus seu multis aliis individuis, neque nisi una cum aliis,

---

tem esse veram et absolutam, quae sit differentiae, vel quae distincta explicataque in se comprehendat momenta. Unitas enim, qua differentia exstingeretur, non esset unitas, sed unum aliquid, vel simplex quaedam determinatio, quae ipsa esset opposita alteri; duo sane plurave ad unitatem requiruntur, quae licet conjunctissima, discernenda tamen sunt. Ergo, si in ratione cogitatio et cognitio indiscreto modo unum essent, ratio non ipsa i. e. cognoscens cogitatio, sed conscientia esset.

\*) Non sum ignarus, hujus commentationis argumentum neque in rebus hactenus tractatis, neque in iis, quarum nunc insequitur expositio, ita, ut debebat, esse a me expositum. At finibus, disputationibus id generis praescriptis, permulta, quae sint maximi momenti et copiosissima atque accuratissima indigeant explicatione, aut leviter attingere aut prorsus omittere coactus eram.

\*\*\*) Malebranchius, qui alioquin nimis quadam religiosa timiditate saepe a mera veritate perspicienda arceri se passus est, ideam unius et universalis rationis ita imbiberat, ut audacter hanc sententiam proferret: „La raison, que nous consultons, n'est pas seulement universelle et infinie: elle est encore nécessaire et indépendante, et nous la concevons en un sens plus indépendante que Dieu même. Car Dieu ne peut agir que selon cette raison; il dépend d'elle en un sens; il faut qu'il la consulte et qu'il la suive.“ Continuo autem adjicit, quum Deus non aliunde pendeat, et se solum consulat, rationem a Deo non esse diversam: „elle lui est donc coeternelle et consubstantielle.“ Cf. Malebranch. Eclaircissement sur la rech. de la vpr. X Eclairc.

quae pariter atque illud singularia sunt, concipi potest. Ad unum individuum non minus hoc ipsum pertinet, quam alterum seu secundum individuum; notio unius individui non id unum tantummodo, sed alterum simul involvit. Unum individuum non per se ipsum, sed per alia, sive ideo est unum, quod juxta et praeter alia est positum, a quibus secundum speciem quidem et sensuum visa est separatam, sed secundam notionem inseparabile. Contra id Unum, cujus notio nihil aliud involvit, quam id Unum ipsum, vere i. e. per se ipsum Unum est. Tale autem Unum, cujus notione nihil praeter id Unum ipsum continetur, Universale est. Universale enim essentia sua, non relatione ad Alteram aliquid seu numero Unum est, quum contra individuum, utpote quod unum est, quia alterum a se excludit, ideoque necessario refertur ad alia individua, quae, excludat, relatione tantummodo, non essentia unum sit. \*) Quocirca individuum quoque non proprie et vere individuum est (untheilbar), sed secundum notionem et revera dividuum est et divisum in se ipsum et alia individua omnia, ad quae necessario pertinet. Quemadmodum substantia, si eam intelligas, ut

\*) Quare talis quoque Deus, qui rerum naturam in propria sua essentia non contineret, neque in se receptam et comprehensam haberet, sed a sese excluderet, non esset Unus. Quod enim exclusus esset aut ipse se excluderet a rerum natura, id ad ipsam ejus pertineret essentiam, quin imo extra illam exclusionem positus, non esset Deus, atque in hac exclusionem naturae, ideoque relatione ad eam — nam nulla non exclusio simul est relatio ad id ipsum, cujus est exclusio — ipsa ejus essentia consisteret. Quemadmodum individuum per alterum, quod extra ipsum est, quodque a se excludit, unum est; sic Deus ille naturae exclusionem tantummodo i. e. relatione, non essentia Unus esset, quippe Dei notio naturam simul involveret. Si rerum naturam a Deo excludis, itemque eam extra Deum ponis, nisi Sophista es, negare non potes, ut ad unum individuum alterum pertinet, sic ad Dei essentiam illam exclusionem, ideoque id ipsum, a quo se excludat, pertinere; nulla enim exclusio sine ea re esse potest, cujus est exclusio. Quocirca illa Deus nihil aliud esset, nisi supremum ens finitum, nihil aliud, quam unum individuum supremum, extra quod alterum individuum supremum, rerum natura, esset et subsisteret; non enim per se ipse, sed exclusionem alterius individui esset Unus. Itaque, si Theologi recentiores in philosophos crimen Pantheismi conjiciunt, ipsi Polytheismi sunt accusandi. Illa enim exclusa natura ad illum Deum exclusum non minus pertinet, quam unum individuum ad alterum, atque ipse, ut sit Unus, ut sit Ipse, Alterum requirit, a quo se secludat, et sic duo Dei, duo suprema individua constituuntur, quorum alterum Deus vocatur, alterum Natura; alteri enim, naturae, cujus exclusionem Deus est Unus, utpote quod exclusum est a Deo et extra eum, etsi creatum dicitur a Deo (quod nihil ad rem facit), non minus tamen existentia substantiva competit, quam Deo ipsi.

Spinoza intellexit, una est, quamvis eadem sit omnia, et quemadmodum Deus, etsi est natura universali, non particulari, qualis est natura rei alicujus naturalis, unus tamen est, non multiplex aut plures in Deorum species dissipatas: sic, si qua est ratio, (quod quidem nemo in dubium vocabit) una sit, necesse est; unitas naturam rationis constituit; ut fieri non potest, ut duas simul \*) mente concipiamus substantias, ita ratio alteram seu secundam rationem prorsus a sese excludit. Ipsa per universum perpetua sit, sibi que similis et aequalis necesse est, ubique eadem, elata supra coeli et terrae discrimen; etsi enim intra se ipsam diversos cogitandi cognoscendique modos admittit et in se continet, nullo tamen modo permittit, ut ipsa a sese disjungatur aut separetur. Diversi enim cogitandi modi, quos esse nemo potest infitias ire, non constituunt ipsius cogitationis diversitatem, sed cadunt tantummodo in relationem individui ad cogitationem, ut quae sit separata sejunctaque ab illo.

§. 16.

Id, quo homo ab homine distinctetur, separatur atque secluditur, ideoque individuum singulare est — individuum enim nihil est extra seu praeter suam propriam differentiam, individuum ut individuum ideo tantummodo est, quia est ab aliis discretum, sublata differentia, ipsum tollitur individuum — tantum in numero rerum aut in casu positarum aut per se particularium sensibusque subjectarum referendum est. Hicce quidem homo ab altero discretus ea in re, quae ipsum ab altero secernit, omnia ponere, et totus ex ea aptus esse potest, ita ut, etsi rem particularem, eam tamen in loco essentiae suae ponat. At aliud est, quod revera et per se ipsum est essentia, aliud, quod particulari cuidam homini est essentia. Neque, quia particulari cuidam homini essentia videtur, ideo particulare aliquid est essentia, sed eo ipso, quod particularis hominis tantum essentia, ideoque ipsum per se essentia particularis est, desinit esse essentia, quia essentiam nulla particularitas attingit; neque, quod revera et per se ipsum omnium hominum est essentia, id desinit ideo esse essentia, quia ab omnibus hominibus non agnoscitur pro sua ipsorum essentia, sed id ipsum, quod ab unoquoque homine non agnoscitur, probat simul, id esse revera essentiam. Nam hominis essentia non immediate, non a natura adest et in promptu est, ita ut homo ad essentiam suam pervenire eamque agnoscere non possit, nisi se ipsum extollat in essentiam et ultra sensuum visa suamque ipsius particularitatem animum promoveat. — Etsi homines alii aliud fere pro sua ipsorum essen-

\*) Cf. Spinoza Ethic. I. propos. XIV. etc.

ne accipiunt, sola tamen cogitatio revera est hominum essentia, eaque non relativa et limitata, sed absoluta et suprema. Homo enim ideo tantummodo homo est, quia mente est praeditus; mens vero, quia cogitat, mens est. Cogitatio ea est actio, quae ipsius mentis sit origo, causa et ratio; mens non prius est, quam agit; origo et actio ejus unum sunt. Mens enim non res (Ding) est, quae ab actione est sejuncta, sed nihil est praeter seu extra suum actum. Ut accommodemus notiones nostras eorum captui, qui vanis opinionibus et praejudiciis imbuti actum sine re (substrato) concipere non possunt, dicere quidem possumus, mentem esse rem, Esse, sed continuo adjicere debemus, talem esse rem, quae tota, quae penitus sit actus. Mens porro nisi cogitaret, non una esset, sed dilapsa et dispersa atque secata in vires, quin partes frustra quae alia ab aliis exclusae; cogitatio est unitas mentis. Et illae ipsae actiones, quae aliae sunt ac cogitatio, neque purae et mere spirituales mentis actiones, fieri non possent, nisi conceptae essent atque comprehensae in illa mentis unitate; v. c., ut hoc uno utar, non sentirem, nisi, dum sentio, simul mei conscius essem. — Voluntas non primigenia et originalis mentis actio est, sed quae ex cogitatione ipsa demum proficiscatur. Voluntas enim ipsa est cogitatio, sed ea, quae ad individuum pertinet, cum eoque adhuc conjuncta est; \*) quam sententiam veram esse, vel hoc confirmatur, (quod velle nihil aliud est, ac se ipsum determinare. Nam talis actio, quae me ipsum dirimat et dividat in duas quasi partes, determinantis nempe et determinati, eripiatque ex immediato sentiendi statu, ubi non discretus sum a memet ipso, ut homine singulari, fieri nequit, quin sit ipsa cogitatio. Volens, dum me ipsum determino, ipse mihi opponor, ipse actus mei fit Objectum, quod pendet ex sola cogitatione. Voluntas duo in se comprehendit: determinari et determinare. Ego, ut determinatus, sum individuum singulare, qualis non cogito; at illud determinare in actu voluntatis est cogitatio. Quare ejus cogitationis, quae non ad ipsum Universale spectat, sed potius hoc referat ad individuum, neque ad res ipsas earumque cognitionem pertineat, sed ad individuum ipsum, i. e. voluntatis cogitata non sunt cogitata, sed, ut ipsum individuum determinantia et ad hoc pertinentia cogitata, sunt

\*) Quod attinet ad individuum, voluntas igitur antecedit cogitationem. Cogitare non potest, nisi qui vult cogitare. Non ad agendum, sed ad cogitandum voluntas requiritur valentissima et pertinacissima. Quocirca tantum abest, ut cogitatio et philosophia ad actiones morales non pertineat, ut ipsa cogitatio sit summa et excelsissima actio mentis. In homine igitur singulari ex voluntate demum, ut quae sit cogitatio ad individuum pertinens, ipsumque penetret, tollat, dirimat sibi que subjiciat, pura cogitatio existit.

officia, leges, praescripta, quae homo ad effectum adducit. Voluntas igitur quasi interrupta et divisa cogitatio est; est enim divisa in se ipsam, cogitationem, quae me ipsum determinat, et in memet, qui determinor. Volens, dum me ipsum determino, separo me a me ipso (— alioquin enim non possem me ipsum determinare, sed sentire tantummodo —), sed simul cohaereo adhuc mecum; Cogitans vero jam per se ipse sum separatus a memet, prorsus liber a me, totus extra me ipsum, ut hominem singularem. Ergo voluntas ea mentis actio est, cui diversitas et contrarietas adhuc inest, quippe quae sit cogitatio dirempta et ad me ipsum pertinens; cogitatio contra proprie sic dicta ea mentis actio est, quae sit pura, simplex, indivisa a se, suisimilis, libera et immunis omni differentia et contrarietate, ideoque ea actio, quae ipsius mentis sit ratio et origo; originale enim omnino ea natura et condicione esse debet, quam modo in cogitatione significavimus.

§. 17.

Cogitatio ergo hominum absoluta est essentia. Essentia autem individuorum sejuncta separataque est ab iis, quoad sunt individua, alia ab aliis separata. Etenim, si essentia non secreta esset ab individuis ut singularibus, exclusisque alio ab alio, sed cum ipsis ut disjunctis unita; tot individuorum essentiae, quod sunt individua, quin individuum ipsum sui esset essentia atque substantia. Quod etiam in ipsam rerum naturam valet, ubi cuilibet rei immediate inest essentia. Canis v. c. totus est penitusque animal; genus item, animal (das Thier) totum cani inest; licet enim ab aliis speciebus prorsus sit discretus canis, non minus tamen, quam aliae toto coelo ab eo distantes bestiae, totus est animal; etiamsi omnes naturae caninae latebras peragraveris, animal tamen nusquam non invenies, nunquam partem offendes, quae canem secludat ab animalium natura. Et tamen genus (essentia) sejunctum est a cani, alioquin enim nullae aliae praeter unum canem essent bestiae, vel canis ipse, bestia particularis, caeterarum bestiarum essentia, ipseque omnes caeterae bestiae esset. Ut essentia sit essentia, requiritur, ut sit simplex, unius modi, indivisa a se, ipsa, non diversa et varia, ut sunt individua, sed una. Quemadmodum individua a multitudine seu quantitate et diversitate, sic essentia ab unitate separari non potest. Quare, dum et quatenus cogito, ut qui ad unam et universalem hominum essentiam me extulerim, in eamque converterim, non diversus separatusque sum ab altero, sed potius utpote separatus a memet ipso, qui sum singularis homo et ab altero separatus, totus sum cum altero unitus. Hominum essentia est eadem eorum absoluta unitas, at co-



gitalio est essentia, ergo cogitans ad absolutam hominum unitatem perveni. — Flagrat homo studio inexpugnabili et inextincto, cum Altero, a quo natura est sejunctus, quocumque modo fieri potest, se conjungendi; desiderat, requirit Alterum, interna quadam et obscura vi atque potentia ad Alterum amandam impellitur, quin nisi cum Altero esse non potest, ita ut homo per conjunctionem demum, quae inter ipsum et Alterum intercedit, homo fiat, \*) et talis homo, qui penitus et in se ipso esset singularis et solus, bestia esset, et bestia ipsa nihil aliud sit, quam homo penitus singularis, solus et solitarius. Homo autem Alterum non amaret, neque desideraret, neque cognosceret et agnosceret ut Alterum, nisi in se ipso esset Alter ipse, nisi quid inesset

\*) Homo igitur fit, non nascitur. A natura enim non cogitat, a natura irrationalis est, totusque sejunctus ab Altero. Homini non, ut v. c. magneti virtus magnetica, ratio est innata et insita, neque provenit ex ipso, ut fructus ex arbore, quin imo homo ut singularis omni destitutus est ratione. Ratio enim communis seu universalis est; at homo singularis totus est sejunctus separatusque ab Altero, ergo singularis homo cogitare non potest; si singularis homo cogitaret, ipsa ratio, ipsa cogitatio singularis esset; atque ut malus non discreta est ab ea sua vi, quae mala procreat, sic ipse, qui est singularis, tantummodo singularis, non cogitata procrearet, neque enim ipsius cogitata Alterius simul esse possent, quemadmodum mali fructus non piri simul esse possunt. Quum ratio communis sit, neque singulari homine innata, neque peculiaris, homo profecto, nisi in republica viveret, nunquam perveniret ad rationem seu cogitationem. Homo non per se ipsum, sed per eam rationem, quae adest, quae ut communitas societasque vitae apparet, ad eam rationem pervenit, quae cogitat. Civitatis igitur origo non ex pactioe quadam vel convenientia hominum, sed ex civitate ipsa, ex ratione ipsa est ducenda, quemadmodum homines non ex pactioe se amant, ex pactioe quadam cogitant etc. Homo, ut non cogitans, prorsus nihil est extra rempublicam; a primordiis humani generis arctissime secum juncti erant homines communitate et societate vitae; bestia quidem ut singularis est bestia; at homines tantummodo ut Unus homo, ut humanum genus, ut Unum Totum, ut Una Res publica homines sunt. Origo rationis, prout scilicet in homine singulari exsistit, ex Toto, quod parte sua prius esse, cum Aristotele statuere ipsa ratione cogimur, ex Altero ejusque conspectu, in quo singularis neque sui ipsius, neque rerum extrinsecus objectarum sibi concipitur esse, omnino ex conjunctione sui cum Altero ducenda est. Homo itaque cum Altero ita conjunctus est et commixtus, ut singularis homo res ficta sit, atque si hominem quaerere vellemus, nondum corruptum societate hominum, ex quo cerneremus, quid esset homo extra societatem, talem hominem quaerere deberemus, qui non genitus et natus, sed ex nihilo esset creatus; jam enim in statu gravido miser homo hominis societate corrumpitur et depravatur, quam sine dubio in infantia nondum nati animam non modo magnam vim habeat mater, sed haec ipsa infantis prima ratio, prima essentia sit censenda.

ipsi, quod elatum est supra illum statum naturalem, ubi Alteri stat oppositus. Amor, amicitia, ut omnino quilibet certus et particularis modus unitatis et conjunctionis, quam ipse homo liber et conscius, proficiscitur tantummodo ex unitate universalis, primigenia, quae simpliciter est, non genita ex conscientia. Quum homo utpote ductus sensu quodam obscuro, non verum esse illum statum naturalem, ubi distat ab Altero, studio vehementi ardeat, cum illo se coniungendi, at omnes illi conjunctionis modi, cujus generis est amor, amicitia etc., particulares sint, imperfecti finitque, quippe in quibus differentia non penitus tollitur, quod v. c. amore ipso confirmatur, qui etiam in ipsa rei amatae praesentia et possessione semper desiderium quoddam manet, i. e. sensus discriminis et limitationis cujusdam; \*) necesse est, in hominis intimis penetralibus locus, ut ita dicam, adsit, ubi illud desiderium Alterius expletum est, ubi non amplius Ego Tibi sum oppositus, ubi illa unitas jam non est conjunctio et certus quidam unitatis modus, sed infinita est, absoluta, undique expleta et perfecta; atque divinam illam unitatem nisi in cogitatione nusquam invenies. Quare homini quoque non modo studium cognoscendi, sed etiam cogitandi innatum est, quia cogitationi ipsi, ut actui, beatitudo quaedam divina inest. Quomodo igitur fieri possit, ut homo alterum amet, agnoscat, in republica vivat etc., id comprehendere nequit, nisi concessa et intellecta absoluta hominum unitate, eaque, quae non generis instar, quale animalium unitatem concipere possumus, cogitata quaedam unitas, sed ipsa cogitatio, ipsa actus sit; nam eo ipso, quod animalium unitas non ipsa cogitatio est, sed tantummodo cogitata manet, animalia non eo perveniunt, ut se ament in vicem, agnoscant etc.

Illa sententia de natura cogitationis, hactenus et imprimis supra (Nr. I.) tractata, quae nunc sic concipi et pronunciaripotest: Cogito, ergo omnes sum homines, etiam pro supremo decreto et absoluto principio morum doctrinae accipi potest. Ideo enim, quod

\*) Hinc intelligere possumus Novalis illud: „Liebe ist purdies Frantheit“ quod eateus verum est, quoad amori sensus quidam termini insuperabilis et obstaculi cujusdam admixtus est. Amans enim quidem se ipsum, qui est singularis et solitarius, tollit et perdit quasi, ut Alter fiat, idem cum eo; sed illa unitate, quae amore conficitur, quia est particularis et limitata, neque ipse, neque Alter, ut Alter, vera tollitur. In unitate amantis duo conjuncti simul duo manent; unitas mei ipsius et Alterius tantummodo, ut amans adest, qui duo particulares homines coniungit, et de ipso, quod unitas sensus tantum est, divisa est ipsa in duos homines.

cogitans non sum discretus separatusque ab Altero, etiam in agendo eo tendere debeo, ut non discretus sim ab Altero, ut illa unitas, quae ab aeterno et per se, non meo actu et conscientia effecta, locum habet in cogitatione, etiam in memet ipso, qui sum singularis seclususque ab Altero, appareat, exprimatur et exhibeatur. Ego ut agens me ipsum quasi imitari et prosequi debeo, quoad cogito. Cogitatio omnis actionis tuae sit Archetypon. Secundum essentiam seu cogitationem non discretus es ab Altero, ergo etiam, quoad agis et vivis, in te ipso ut homine singulari esto, qualis revera, qualis secundum veram tuam essentiam es.

§. 18.

Hominum ergo ratio una est, eorumque una essentia; at ratio, nisi ipsa per se, nisi simpliciter et omnino una esset, nec hominum quidem essentia una esse posset. Ratio enim, quod jam supra apparuit, non cogitata quaedam et abstracta unitas est, sed ea est unitas, quae revera sit ut unitas; ratio ipsa actus et veritas (*Wirklichkeit*) est, sive in cogitatione actu adest ratio ut unitas; revera enim cogitans ab Altero non sum sejunctus. Itaque ratio, quum non eo modo sit hominum una essentia, quo genus animalium diversorum est essentia atque unitas, quod (genus) non adest, neque apparet in rerum natura ut genus, sed in cogitatione adsit ut unitas, ut ratio praesens sit, propterea quia in cogitatione revera, non secundum notionem tantum prorsus sunt sublati homines singulares et diversi; non modo hominum respectu, ut qui revera sint sublati cogitantes, sed etiam respectu sui ipsius sive per se ipsa est una, ita ut unitas hominum nihil aliud exprimat significetque, quam unitatem rationis ipsius. Quocirca ratio, quum non modo hominum respectu, sed etiam sui ipsius est una, atque hominum non minus unitas, quam sui ipsius, profecto simpliciter una, omnino una sit necesse est. Quod enim ratione sui ipsius Unum est, id eo ipso sine ulla ratione (*Rücksicht*), conditione atque restrictione Unum est, vel ideo Unum est, quod Unum est; si v. c. dico, virtutem tantum ratione sui ipsius, non utilitatis vel alius cujuscunque rei causa aestimandam et sequendam esse, nihil aliud dico, quam sine ulla ratione et restrictione esse sequendam. — Existentia rationis non diversa est ab ipsius universalitate unitateque. Etiam; quum cogitatio ipsius rationis sit actus, in cogitatione autem revera sunt sublati et negati homines singulares et diversi; rationis existentia et actus sunt non discreta ab ejus unitate et universalitate. Existentia rationis est ipsa ratio, quoad in actu est; ipsa unitas rationis est ejus existentia, vel existentia rationis non cadit extra ipsam rationis unitatem, ita ut ratio per se ipsa et absolute una sit.

§. 19.

Rationem esse unam sive non finitam — est enim \*) idem — etiam in eo certitur, quod adeo in communi vita et vulgari hominum consuetudine omnis enuntiatio, omne iudicium, etiamsi ea, de quibus loquimur, ex infimo sint rerum finitarum genere, infinitatem tamen et continet et exprimit. Quaecumque fuerit id, de quo iudicium facio, quum dico: hoc ita, non aliter, quamquam singularia quaedam pono, ea tamen affirmo sine ulla conditione et restrictione, sine ullo alterius cuiusdam rationis respectu, cui id, quod ego affirmo, secus ac mihi videatur. Ergo quodlibet iudicium, si quidem ad formam ejus tantummodo respicitur, infiniti ipsius infinita potest appellari affirmatio. Pono quidem aliquid tantummodo, at illud Ponere infinitum est, ideoque etiam in quovis certo determinatoque iudicio infinitas ipsa adest. Atque id inde venit, quod quaelibet determinata veritas veritatem ipsam et omnem et totam continet; neque enim verum esse posset veri aliquid, nisi veritas ipsa ei inesset; nam nisi una, universalis et omnis veritas in eo, quod aliquid veri est, inesset, neque ipsa esset ea, quae est et esse debet, quia aliquid per se ipsum, non per illam verum, ideoque altera quaedam extra unam veritatem esset, neque aliquid veri verum, quia sine veritate verum esset. Ubique igitur hanc declarat certitudinem ratio, sese infinitam esse et unam, ubique est infinita sui ipsius affirmatio.

§. 20.

Fuere inter veteres philosophos, qui mortem prorsus nihil ad hominem esse dicerent, quod vita sive sensus, qui non nisi, quod revera sit, (positivum) perciperet, non sui ipsius negationem, neque quisquam igitur mortem suam posset sentire. Idem valet in terminos rationis: alteram rationem sensui ipsius terminos i. e. negationem concipere non potest. Illa enim cogitatio, qua rationem esse finitam statuimus, semper esset cogitatio, ergo rationis affirmatio, non negatio. Quare nullo pacto fieri potest, ut ratio se ipsam finitam ponat; alioquin enim ratio se simul ut rationem et non - rationem cogitaret. —

Ut aliquid finitum nominari et ut finitum scribi possit, alterum requiritur, quocum comparetur illud, et ad quod relatum, ipsam illud limitatum videatur; finitur aliquid non nisi in conjunctione et relatione ad alterum. Ut ergo ratio se cognosceret

\*) Infinitas est inseparabilis ab unitate. Cf. quoque §. 15. Quare, qui finibus certis circumscriptam esse eam rationem, quae in mente humana apparet, obtinet, necessario duas rationes statuit:

determinatam, cum altero quodam se conferre deberet; id alterum aut irrationale esset aut rationale. (nam supra rationem nihil potest cogitari); at nunquam ratio, neque quam ad irrationale se referret, id quod per se a ratione abhorret. \*) — quid enim quaeso esset rationi commune cum irrationali, et quomodo illa ab hoc determinari posset? — neque, quum cum eo, quod rationale est, se conferret, limitatam se cognosceret; qui enim fieri posset, ut ratio in eo sive per id, quod per rationem ipsam est rationale, terminos sibi inveniret impositos; quin fac, rationem in comparatione cum altero limitibus se circumdatam reperire, certe illa comparatio, illa limitatio rationalis esse deberet i. e. consentanea rationi ejusque naturae (quomodo enim fines, qui essent irrationales, rationis i. e. rationales esse possent?) quodsi autem congrui essent rationi, illi fines desinerent continuo esse fines, ratio enim in illis se ipsam affirmatam, naturamque suam expressam cerneret, neque eos, utpote rationales, aliunde sibi impositos, sed se per se ipsam limitatam i. e. in finibus suis sibi ipsi congruam et comparationem h. e. non limitatam cognosceret.

Haec materia etiam hoc fere modo explicari posset: Tales cogitandi formulae qualis est limitatio seu finis et terminus, propterea quod ratio ipsa (vel cogitatio) ex se eas procreat, neque adhibet, nisi quum res naturales singulares, contrariasque per se cogitationi inter se comparat et dijudicat, in rationem ipsam transferri non possunt aut debent, alioquin enim ratio ipsa in numero rerum singularium et relationum poneretur. Quidquid tibi finitum videtur, per rationem tibi ita videtur; quomodo autem quaeso rationem ipsam, per quam solam finitum omnino aliquid esse cognoscis, finitam judicare potes? Quodsi ipsa ratio esset finita, prorsus nihil ut finitum cogitare, neque omnino termini vel finis notionem habere possemus.

---

\*) Id solum, quod natura et per se ipsum irrationale esset, terminus et finis rationis dici posset. „Denn das, worin kein Verstand wäre, könnte auch nicht Vorwurf des Verstandes seyn, daß Erkenntnißlose selbst nicht erkannt werden,“ ut praeclare ait Schellingius (V. Ueber das Verhältniß der bildenden Künste zur Natur S. 14.) Illico autem cuilibet liquebit, talem terminum non esse terminum; si enim ratio propterea, quod irrationale non cognosceret, esset finita, ideo, quod ratio est, finita esset; quod absurdum est; alioquin enim etiam id, quod vere est infinitum, ideo, quod infinitum est, finitum esset, et Deus propterea, quod Deus est, neque non — Deus vel multae res finitae, esset finitus. Nam si res finita idcirco est finita, quod haec certa et determinata res est, non alia, ac ipsa est; infinitum contra ideo, quod id ipsum est, quod est, infinitum est.

§. 21.

Est igitur una eademque ratio, ut per Omnia, sic per omnes homines sibi absolute constans et aequalis. Atque haec ipsa opinionum et notionum et sententiarum tam infinita varietas, diversitas atque repugnantia, quae est inter homines, obiterque spectata firmissimum argumentum \*) contra unius rationis ideam esse videtur, docet indicatque, si accuratius rem inquisiveris, esse tantummodo unam rationem. Nam si suam quisque haberet rationem, et quot individua, tot rationes essent, altissimum inter homines esset silentium, summa quies et inertia, nec nobis ipsi mutuo possemus repugnare. Meorum enim cogitatorum, si meam rationem haberent genitricem, etiam κριτήριον, quo judicarentur, in eadem ratione mea propria ingentum esset. Hic meus intellectus suum ipsius esset exemplar, genus et mensura, qui in cogitatis suis semper sibi ipsi responderet, atque constaret, nec prorsus cogitata mea alterius cogitatis contraria essent, quippe quae itidem in alterius ratione propria causam suamque exemplar habentia, ad se ipsa tantum referrentur, exclusa omni relatione, comparatione atque convenientia cum meis cogitatis. An vero vitis, quoniam uvae fert, ceraso repugnat, ideo, quod haec cerasa progignit, non uvae? Minime vero; id modo sibi repugnaret, si vitis ut suos, ita cerasi quoque procrearet fructus. Uvae enim ab cerasis diversae existunt ex vitis integra natura, quae propria est et diversa a cerasi natura; et sicuti fructus vitis ad vitem ipsam solam, non ad cerasum sunt referendi, sic vitis natura et indoles, utpote quae propria sit et sibi velut vivat, non ad cerasum refertur, sed ad se ipsam; neque igitur uvae repugnant cerasis. Revera igitur, ut non dissimile sibi esse potest, nisi quod simile sibi est, neque impar, nisi quod par ipsum; sic intra id solum, quod Unum est, repugnantia et diversitas locum habet, vel ea tantummodo sibi possunt contradicere, quae relationem inter se habent necessariam, commune et idem exemplar, unam et eandem causam et naturam. Si igitur sua quisque ratione esset praeditus, vel (nihil enim differt) nisi ratio una et universalis esset; neque omnino ex nobis ipsis exire possemus in alterum,

---

\*) Petrus Baylius in lexico suo historico critico ita Averroem, qui unam tantummodo hominum rationem esse docuerat, refellit: „Que peut-on imaginer de plus chimerique, que de pretendre, que deux Philosophes, dont l'un nie, l'autre affirme la même thèse en même tems, ne sont qu'un seul être (?) à l'égard de l'intellect?“ Atque paulo post Antonium Sirmondum probat eadem, ac Baylius, proferentem: „Quomodo in unam et eandem, inquit, intelligentiam simul cadet contrarietas illa opinionum et sententiarum, quam toties in hominibus experimur, cum unus ait, alter negat de eodem idem?“

neque nos mutuo intelligeremus; neque cogitata nostra aliis impertire aut vellemus aut possemus.

§. 22.

Sunt, qui vel bestiis ipsis assignent rationem, nec defuere, qui tantum iis tribuerent, ut immanitatem antetalisse viderentur humanitati. Fingamus, si placet, animalibus ipsis inesse rationem; hoc certe est perspicuum, toto coelo distare animalium ab hominum ratione, quod ratio hominum ipsa (ratio est) i. e. communis, una, nec diversa a se ipsa; animalium contra ratio disjecta et dissipata in tot rationes, quot sunt animalia seu animalium species. Hujus enim determinatae bestiae ratio est ipsa haec bestia determinata, non, quod commune sit, per se, ac supra hanc ipsam collocatum; sed tota est illa determinata ab hujus animalis propria particularitate; species enim, sub quas cadit hoc vel illud animal, sunt termini insuperabiles, quibus circumsepta est eorum ratio; neque hujus animalis ratio ipsa est sui argumentum, sed nihil est in ea, praeter hoc animal ipsum; hoc singulare enim et ratio sunt una res indistincta, neque valet bestia se a se ipsa discernere, atque a se separata liberataque commune per se concipere; premitur sic ratio in animalibus, velut mole quadam gravissima, speciei particularitate. — Animalia quippe, quatenus sunt speciebus subjecta, paria inter se sunt, eorumque actiones, ut ita dicam, et relationes, quae intercedunt ipsis cum bestiis ejusdem aut diversae speciei, nec non cum rebus, quae extra ipsa sunt, communi quodam sunt constitutae modo; in eoque, quod a speciebus suis sequuntur singulae bestiae, neque petunt, neque faciunt, nisi quod ipsa specie i. e. objectiva et communi singularum natura constitutum est, quodam modo rationales possunt nominari. At animal singulare, quoniam in se ipso se discernere non valet, nec se, quatenus singulare est, separare a se, quatenus commune aliquid est, a specie sua non est diversum; a contrario tota coalescit et miscetur cum singulo quoque specie. — Nam ne fingi quidem potest animal a specie diversum. — Ita at singulare animal non sit nisi singulare, ab se tantummodo ad se

f) Quantavis Averrois (cf. Brucker, Hist. crit. Philos. Tom. III. 117. 119) in eo, quod hominum rationem unam numero seu specie accepit — sic enim statuisse traditur — sit reprehendendus, contra eos tamen, qui ipsis rationem tribuere putant, idque eo modo, quo Subjecto alicui logico praedicatum quoddam inhaeret, id praecipue urgendum est, rationem ab homine separatam, quin extra hominem, quatenus is est individuum singulare sitam esse.

ipsam, non ad normam communem dirigit, vel ut ratio non sibi ipsi inest, sed ab hocce determinato animali velut absorpta teneatur. Indidem sequitur, ut animalia non cogitent, sermone \*) careant, in civitate non vivant. Homo ergo (quandoquidem ratio, licet in singulis appareat individuis, in se tamen ipsa inest, libera ab singularibus simpliciterque universalis) postulat; vel omnia sub specie aeterni esse adspicienda, quemadmodum Spinoza, \*\*) vel res, prout per se atque in se ipsa sint, veritatem ex ipsa veritate debere spectari, ut Plato, \*\*\*) quin dicere potest, ut Malebranchius, \*\*\*\*) nos non nisi in Deo omnia intueri cernereque, atque ex infinito ipso omnia cognoscere finita. Bestiae vero, si mundus seu rerum universitas sub earum caderet adspectum et verba proferre possent, profecto dicerent: nos omnia concipimus sub nostra ipsarum specie, nequaquam res, prout ipsae sunt, quot nos sumus diversae bestiae, tot sunt diversae veritates, tot mundi, tot rationes.

§. 23.

Itaque finita vel subjectiva vel particularis ratio et quas individuum esset, bestialis seu bestiarum esset ratio, si tamen talis ratio ratio est, et hoc nomine digna, quum potius ejusmodi ratio sit vocanda sive species sive habitus etc. (Character, Art, Manier etc.) Quare aut dandum, est, rationem, quatenus et quam in homine appareat, infinitam esse, aut negandum, esse hominis aliquam, rationem. Nam finitum est omnia id, quod continetur communitate quadam, ad eamque, quae supra ipsum collocata est, refertur, seu quod tantummodo species est quaedam. Quare si illud dictum: ratio est finita, non omni caret sensu, sed distinctam quandam exprimit notionem, nihil aliud significare potest, quam rationem esse speciem. At ratio, quae species sit,

\*) Scitum illud J. Lordin (Vid. Rudolphis Physiologie I. Theil S. 32.) simios ideo non loqui, quia, quod loquerentur, non haberent. — Ratio animalium sola ipsorum specie continetur, non ut res et actionibus, ex quibus fere colligere posse sibi videntur homines, etiam bestiae observatione percipitur. Ratio enim ubi semper existit, ubi ac ipsam in se continet. Probe ait Shydenborgius in hisce Willen (Neigung, Begierde) und Verstand der Thieren haugen immer an einander. — Daß der Mensch denkt und will, kommt einzig und allein daher, weil sich sein Verstand vom Willen trennen läßt. Cf. Shydenborg auctoresque Schriften III. Frankfurt 1776. Sed reliqua haec quoque materia, utpote coacta, leviter tantum unamquamque rem transire.

\*\*) Ethices Pars II. Propos. XXXII. et Prop. XXXIII.  
 \*\*\*) Cf. v. G. Cratylus (Heindorf 178 etc.) V. et VII. lib. de Rep. et Parmen. ab ini. usq. ad 19.  
 \*\*\*\*) Cf. Rech. de la ver. Liv. III. chap. IV. et Liv. V. des passions ch. IV. — HILKOLIA



bestialis est, non qualis apparet in mente humana. Quam ob causam, si revera esset ratio finita, finesque illi, quibus circumscripta esse dicitur, non ficti et commentitii essent, sed naturales, mentisque ipsi naturae velut innati atque necessarii; nos profecto non modo non transire aut possemus aut vellemus terminos istos, sed ne scientiam quidem aut notionem eorum haberemus. — Hanc enim ineptam opinionem removeas oportet, esse id, quod terminatum est, eodem modo terminis suis circumdatum, quo vas aliquod, quas continet, res circumplectitur; vas enim diversissima maximeque contraria pari modo capit, eoque, quod in vase aliquid est, nihil demitur aut accedit contento, quod ad ejus essentiam pertineat, nam continetur duntaxat in continenti, quod ad spatium attinet, sed revera non continetur continenti contentum, quoad materiam seu essentiam; vinum nimirum v. c., etsi ampulla est circumclusum, extra tamen ampullam est, quod quidem ad vini propriam naturam attinet, non est in ampulla, quasi vinum ampullae esset qualitas. Sed veri nominis terminus est proprietas, natura, in ipsa re, quam terminat, ingenuus. Sic sunt qualitates aquae termini ejus, quibus superatis aqua esse desineret; quare terminus illud quoque est, quo discernitur separaturque unum ab altero. Fines ergo isti rationis, veri si essent, naturam ipsam humanae mentis constituerent, sive, quid et quale est ratio, id non nisi per terminos suos esset, quibus ipsa et omne ejus studium omnisque actus contineretur. Fines rationis ipsa ejus natura esset, \*) ac mens humana ad eas solas res tenderet, quae ipsi essent accommodatae et a natura sua destinatae, atque in ista regione quasi in ele-

\*) Etwas ist, inquit Hegelius (Logik I. 63) was es ist, nur in seiner Gränze. Idem (S. 65): „Die Gränze gehört dem Etwas selbst an; es hat kein Daseyn ausser ihr; sie ist das Ansichseyn des Etwas selbst; ist seinem In-sichseyn nicht äußerlich“ etc. Quam termini notionem veram esse, etiam ex linguis ipsis intelligere licet. Πέρασ v. c. et ὄρος significant illud Gränze et Vollendung, hoc Gränze, Zweck, Bestimmung (Definition); idem significat Finis et Τέλος. Finis autem sive id, cujus causa aliquid est, est ipsa ejus essentia, cujus est finis. Τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι, καὶ τὸ οὐ ἐνεκά ἐν ἐστὶ, ut recte dicit Aristoteles (Natur. Ausc. VII. 2.) Idem: Οὐ δὲ ἄνωθεν ἔξω, τὸ δὲ ἐστὶ τέλειον καὶ ὄλον, τέλειον δ' οὐδὲν, μὴ ἔχον τέλος. τὸ δὲ τέλος πέρας. Etiam illius libri, qui Aristotelis Theologia inscribitur, auctor praeclare disserit de finis natura: „Quid sit oculus non est aliud, quam propter quid sit. Quodsi in re mundi inferioris quid sit et propter quid sit, apparent unum, quanto magis in ente intellectibili? quare qui definiturus sumpsit propter quid vice quid vere definiuit.“ (Lib. V. 5.) Haec igitur summa aristoteleae rationis de fine esse mihi videtur, quae una vera est judicanda: Finis (Zweck) est res. Finis alicujus rei est ejus natura; at finis est terminus, ergo in termino natura est posita.

mento suo, ut piscis in aquis, avis in aere, degeret ac versaretur, incuriosa libens, contentaque sorte sua, non ultra vires ac modum suum progredi ausa, neque limitatam se esse sciret propter id ipsum, quod isti fines ejus interna ac vera natura essent. — Qui igitur philosophos, quos vocant, speculativos de terminis rationis admonent, ii, quoniam illi termini necessarii verique esse dicuntur, tale aliquid faciunt, quale facturus esset, si quis piscem admoneret, ut piscis manere neque aerem apiculas instar pervolare aut ut crocodilus in arida litoris arena soli se exponere vellet, cumque autem probant, illos rationis terminos, de quibus nugantur, nullos esse. Si enim facultate \*) omnino carerem, extra fines illos egrediendi, ipsos, ut demonstratum est, neque scirem, neque sentirem.

\*) Cf. Hegelii Encyclopædie der phil. Wissensch. S. 34. Anm.

### Corrigenda.

- pag. 5 lin. 10 inf. pro sub l. super.
- pag. 6. lin. 8 inf. pro aliqua l. aliquet.
- pag. 25. lin. 17 pro potest l. possumus.
- pag. 29. lin. 14 inf. l. itaque Deum extra eam,
- pag. 30. lin. 15 l. referendum.
- pag. 31. lin. 9 inf. pro spectat l. spectet.
- pag. 32. lin. 16 pro quod l. quot.
- pag. ibid. lin. 6 inf. pro ut l. qualia.
- pag. 33. lin. 3. inf. pro gremio l. visceribus aut utero.
- pag. 37. lin. 7 sup. pro ; l. ?



